Bericht

über das

Gymnasium zu Rössel

für das Schuljahr 1878/79.

Vom Direktor

Dr. Joseph Frey.

Vorangeht eine Abhandlung des Gymnasiallehrers Chlebowski: De Callimachi hymno in Iovem.

Königsberg i. Pr. 1879.

Druck der Universitäts-Buch- und Steindruckerei von E. J. Dalkowski.

De Callimachi hymno in Iovem.

Callimachus eo fuit tempore, quo Graeci libertate amissa iam non excellebant ea qua antea ingenii praestantia. Vigebant quidem litterarum omnium studia, quae bellis illis civilibus statim ab Alexandri Magni morte obortis vehementer erant afflicta. Multae et variae animos occupabant doctrinae, imprimisque fabulae atque historiae antiquae florebant studia. Ingenti tamen variarum eius aetatis disciplinarum copia fieri non potuit, quin infringeretur ingenii vis ac vigor. Quod quam maxime comprobabis, si artis poeticae eius aetatis quae exstant respexeris monumenta. Haud facile quemquam inter poetas illos quos dicunt Alexandrinos invenies, qui magnorum antecedentis aetatis poetarum magnam ac praeclaram assequatur laudem. ‚Omnia fere', ut Heynii [1]) verbis utar, ‚eius aetatis ingenia argumentum tenue et subtile sectari videas; nihil in iis celsum, generosum et sublime, nulla audacia; divino illo impetu et furore abripi se non facile patiuntur . . . . Neque nobili argumento, nec magnis sententiis, nec splendidis figuris ac luminibus, aut grandibus imaginibus et vividis coloribus oculos animumque praestringunt, sed unam hoc in genere sibi laudem vindicant, ut quod Longinus de Eratosthene iudicat, per omnia inculpati, nulli lapsui obnoxii et aequali quadam mediocritate non sint contemnendi. Nullus itaque vehementior impetus, quo animus legentis iucunde impellatur ac perturbetur, nulla inventorum fecunditas, aut sententiarum copia, aut numerosa oratio, quae omnia a divino illo spiritu incalescentibus adesse solent. Limpidos et amoenos rivulos per prata properare videas, non magnum ac vastum flumen devolvi. Quare, si qui insigniorem aliquam laudem consecuti sunt, versantur ii fere in genere tenui et subtili.' Cui, quam de poetis Alexandrinis fert, Heynii sententiae etsi non omni ex parte assentiaris pauloque eum in iudicandis illis poetis arbitreris esse acriorem, tamen sublimi illo et excelso, ut ita dicam, poesis genere non facile quemquam eorum contenderis excellere. Iam tragicorum et comicorum poetarum, e quibus *πλειὰς* illa quae dicitur *τραγική* est confecta, nullus praeter Lycophronem aetatem tulit, cuius quam scripsit Cassandra quanti aestimanda sit, nemo est, quin sciat. Inter epicos solius Apollonii exstat monumentum, in quo plus apparet doctrinae quam ingenii [2]). Altius progressi sunt, qui carminibus elegiacis scribendis operam dederunt; quamquam ne in hoc quidem poesis genere eos, qui antecesserunt, aequarunt poetas. Magnam tamen poetae Alexandrini carmine

---

[1]) cf. Heynii opuscula academ. I. p. 80.

[2]) cf. Bernhardy, Grundriss der griech. Litteraturgesch. II. 1. p. 354.

didactico, quod dicitur, consecuti sunt laudem. Digni imprimis, quorum mentionem faciamus, Nicander et Aratus, cum quibus ‚quem simplicitate, puritate, elegantia, fabularum suavitate compares vix reperias‘.[3]) Neque tamen mirum, poetas Alexandrinos in sublimiore illo poesis genere nihil fere praestitisse. Tantum enim aberat, ut totos sese arti poeticae excolendae dederent, ut variarum doctrinarum studio incensi, quod cuique contigit, otium ad carmina conferrent pangenda; neque plerumque tam ingenii ducebantur voluntate artisque huius amore, quam, quae iis inde nasceretur, gloriae cupiditate. Atque inter omnes eius aetatis viros doctos haud scio an neminem reperias, quin praeclara eruditione atque doctrina ornatus etiam ad artis poeticae adspirarit gloriam. ‚Nullus enim inter ingeniosos saeculi illius homines nomen habet, qui non et poeta, et grammaticus, et philosophus et mathematicus praeclarus haberetur.‘[4]) Neque tamen spernendam nonnulli, quamvis varia atque copiosa doctrina instructi, in singulis poesis generibus consecuti sunt laudem. Quorum in numero ponendus mihi videtur, qui veram suae aetatis reddat imaginem, Callimachus. Qui non solum doctrina et arte, sed etiam ingenio aequales longe antecedit. Alii autem aliter de clarissimo hoc Ptolomaeorum aetatis viro iudicant. Praeclara eum ornatum fuisse eruditione atque doctrina, omnes inter se consentiunt. Quod tamen ad poeticum eius attinet ingenium, alii Callimachum maximis efferentes laudibus et amant et admirantur, alii fastidiunt et contemnunt, ut Cobetus,[5]) cum dicit: ‚Callimachus est mihi homo puerilis et ineptus, qui in aulicae adulationis foetore animi sanitatem et φρόνημα omne amisit. Idem cum immensum librorum omne genus numerum devorasset et sic diffisam rerum diversissimarum notitiam collegisset, non satis habuit variam hanc et multiplicem eruditionem apte digerere et explicare, sed ex hac farragine poetarum et scriptorum omnium aetatum ac locorum contexuit sibi linguam quandam artificialem, qua carmina pangeret et ipse, eo potissimum consilio, ut eas dicendi copias undique collectas suisque ipsius inventis auctas veluti stragulam vestem acu pictam et coloribus omnibus variegatam Regis et aulicorum et eruditorum oculis explicaret ostentaretque. Quoties ego ista contemplor, dubito, utrum mihi argumentum carminis an lingua absurdior ineptiorque videatur. In argumento desidero naturae veritatem: eandem in verbis et oratione desidero. Quae Callimachus versibus describit, ea nunquam quisquam aut experiendo vidit aut animo sensit. Verba sunt quae aures titillant sed ad animum non perveniunt. Numerosa sunt, auditum mulcent, sed nihil ex his descendit in pectus. Νευρόσπαστα sunt quae pueros oblectant vana mirantes. Nihil his simile vita habet: itaque nihil horum viro placere potest.‘ Quam de Callimacho Cobetus sententiam nescio an nimio suo omnium poetarum Alexandrinorum tulerit ductus taedio. Hoc sane concedendum, hymnos Callimachi haud magna ingenii excellere praestantia[6]), neque raros in iis inveniri locos, ex quibus haud ita bonum de poëtae ingenio facias iudicium[7]).

---

3) cf. Heyn. l. l. I. p. 93.

4) cf. Heyn. l. l. I. p. 83.

5) cf. Mnemosyne X. p. 391. sq.

6) cf tamen quod Anna Fabri de Callimacho tulit iudicium in praefatione (cf. Ernest. edit. p. 632.): ‚Is (sc. Callimachus) ubique mihi divino numine afflari semper visus est, sed tum maxime cum in laudes Ptolomaei Philadelphi delabitur; id enim tanta arte perficit, ut quivis, qui vel minimum in hisce sapiat, liquido deieret Deum, non hominem, loqui.‘ Iam laudans h. in Jovem vv. 84—90. et h. in Apoll. vv. 26—27: ‚Nonne‘, inquit, ‚lector, laudes alias fere omnes ad istas dices sordescere?‘

7) cf. eos, in quos Cobetus l. l. invehitur locos Callimachi et quos Schneiderus (Philol. XX. p. 137. sq) minus apte contra Cobetum videtur defendisse.

Si tamen ad ea, quae exstant, poetae animum adverteris epigrammata, non iam Callimachum cum Cobeto hominem habebis ‚ineptum atque puerilem, qui omne iam amiserit φρόνημα.' Quid? si a Quintiliano[8]) memineris poetam hunc appellari ‚elegiae principem', num etiamtum laudabis Cobetum tam fastidiose de Callimacho iudicantem? Neque vero iis dixerim esse assentiendum, qui nimio huius poetae ducti studio et amore in poetarum ingeniosissimorum eum referendum censeant esse numerum. Quanti tamen poeticum Callimachi ingenium sit aestimandum, ut unquam diiudicetur, vix puto futurum esse. Neque enim quae exstant poetae monumenta, neque veterum testimonia sunt talia, ut certa de eius ingenio feratur sententia.

De his igitur hactenus. Priusquam autem, quod nobis est propositum, Callimachi hymnum, qui est in Iovem, in quaestionem vocemus, nonnulla de iis, quibus in recognoscendis poetae hymnis adiuvamur, praemittenda sunt subsidiis. Ut igitur a Callimachi editoribus initium faciamus, qui primus anno 1494 Florentiae poetae hymnos edidit, Ioannes Lascaris uno tantum videtur usus esse codice eoque nec bono satis nec vetusto, sed lacunis et aliis vitiis multifariam depravato.[9]) Qui eum secuti sunt editores, cum novis subsidiis non essent instructi, Florentinam coniecturis emendaturi tantum aberat, ut in iudicando Callimacho proficerent, ut quam Lascaris paravit editionem depravarent. Ne ipse quidem Henricus Stephanus, qui anno 1566 Parisiis in ‚corpore poetarum graecorum principum heroici carminis' Callimachum edidit novamque decem annis post (1576) Parisiis paravit editionem ‚Callimachi hymnos et epigrammata et Nicodemi Frischlini interpretationes' continentem, — ne hic quidem, quamvis bene omnino de litteris Graecis meruerit, multum ad Callimachum contulit emendandum, uno tantum praeter Florentinam, Aldinam, Vasconianam, Frobenianam adhibito codice plurimis depravato interpolationibus.[10]) Iam inter eos, qui post Henricum Stephanum Callimacho recognoscendo operam dederunt, laudandus videtur Ioannes Augustus Ernesti[11]), non quo egregie de Callimacho meruerit, sed quod maioribus ad cognoscendum poetam utebatur subsidiis, quam qui ante eum hac in re elaborabant; habuitque codices nonnullos ad illud usque tempus nondum collatos.[12]) Nihilo tamen setius Ernestius, quem virum Meinekius Latinarum litterarum dicit fuisse admirabili, Graecarum mediocri scientia instructum, tam imparem se difficili sane labori praestitit, ut raro a Stephano cum discederet, nihil nisi eam, quam Graevius anno 1697 Ultraiecti paraverat, repraesentasse videatur editionem. Neque denique, qui ab Ernestio profecti sunt, Callimachi editores poetam nobis reddiderunt emendatiorem. Ipsius quoque Blomfieldi editio[13]) hoc tantum habuit commodi, ‚quod virorum doctorum studia denuo in Cyrenensem poetam conversa sunt multique exstitere critici, opem laboranti poetae laturi.'[14]) Primus, quae tamdiu desiderabatur, editionem, huius sane aetatis luce haud indignam, adornavit Augustus Meinekius,[15]) quem virum et maxima doctrinae ornatum fuisse copia et ingenii acumine, inter omnes constat. Quamquam novorum subsidiorum praeter

8) cf. Quintil. institut. orat. X. 1, 58.

9) cf. Schneid. praef. p. V.

10) cf. Schneid l. l.

11) cf. Callimachi hymni, epigrammata et fragmenta cum notis integris H. Stephani, Vulcani cet. quibus accedunt Ezechielis Spanhemii commentarius cet. ed. Augustus Ernesti. Tom. II. Lugduni Batavorum 1761.

12) cf. Ernest. praef. p. 3. sqq.

13) cf. Callim. hymn. cet. rec. et cum notarum delectu ed. C. I. Blomfield. Lond. 1815.

14) cf. Meinek. praef.

15) cf. Callimachi Cyrenensis hymni et epigrammata ed. Augustus Meineke. Berolini 1861.

Paris. et Vindob. librorum excerpta habuit nihil; plurimis tamen Callimachum liberavit vitiis deditque nobis poetam talem, qualis dari debebat. Qui post Meinekium ‚Callimachea' edidit, Otto Schneiderus, et cui sane haud inutiliter vir ille excellentissimus existimandus est praelusisse, num etiam magis meruerit de Callimacho emendando quam Meinekius, haud equidem diiudicarim. Quae tamen a Meinekio omissa sunt Callimachi fragmenta, post Bentleii tempora ex omnis generis scriptoribus aucta, Schneiderus növo disposuit ordine, corrupta emendavit, obsura explanavit. Schneiderus quoque primus, cui, quod nemini ante eum contigit, duodecim codicum accuratissime collatorum variae lectiones ad manus erant, [16]) ostendit, singulorum codicum quae inter se esset ratio quorumque maxima auctoritas. Iam Meinekius quidem constantem et perpetuum in lacunis locorumque paulo gravius affectorum scriptura consensum docere animadvertit, omnes quotquot essent Callimachi codices ex uno eodemque fluxisse libro. Neque tamen, quae libri huius fuisset ratio atque condicio, ipsi constabat. Ne id quidem certo diiudicari posse docet, idemne sit hic liber an diversus ab eo, ex quo Lascaris Callimachum primus edidit. Primus igitur Schneiderus collatis inter se, qui ipsi ad manum erant, Callimachi libris manu scriptis vidit, in duo eos dividi genera. Unde collegit, ad duos illos libros referendos esse fontes, eundem qui haberent originem. Cum autem non solus Ioannes Aurispa hymnorum Callimachi copiam fecisse traderetur doctis Italis, sed etiam Franciscum Philelphum, qui eodem fere atque Aurispa tempore versatus esset Constantinopoli, inter alios Graecos libros constaret etiam Callimachi secum in Italiam attulisse hymnos, ab utroque eundem, qui Constantinopoli fuisset, Callimachi codicem esse descriptum coniecit. Neque tamen eadem Aurispam atque Philelphum in describendo illo archetypo Byzantino functum esse vice. Aurispam, qui codicum descriptorum mercaturam facere soleret, non plus egisse, quam scribam probum et accuratum, tamque in describendo fuisse diligentem et religiosum, ut archetypi quasi quandam referret imaginem. Philelphum, qui docti potius grammatici quam scribae functus esset munere, non solum leviores librarii correxisse errores sed etiam minores lacunas explevisse. Apparere igitur ex his, qui ex Aurispae apographo fluxissent codices, eorum longe maiorem esse auctoritatem quam librorum, qui ex Philelphi descripti essent apographo. Ex Aurispae autem apographo qui ducti essent codices, Schneiderus dicit sese novisse Vaticanos tres et Venetum unum. [17]) Ex Philelphi apographo ei fluxisse videntur praeter primae editionis codicem quinque: Parisinus unus, item unus Ambrosianus, Vindobonensis, Vossianus, Vaticanus. Ex Lascaris autem codice D [18]) Schneiderus descriptum esse putat ‚d' sive codicem Oxoniensem. L et M [19]) denique codices, quibus Schneiderus usus est, ex Aldino ei transscripti videntur esse exemplari. Praeterea etiam aliorum codicum Schneiderus varias apposuit lectiones. Quos, cum minoris sint pretii, nihil attinet hoc loco commemorare. Iam videamus, quidnam Schneiderus de

16) cf. I l. p. VI.

17) 1. Vaticanus 1691. A. lit. not. 2. Vaticanus 36. B. lit. not. 3. cod. Urbin. n. 145. ex Vatican. K. lit. not. 4. Venetus Marcianus 480. C. lit. not.

18) D = codex is, cui Ioannes Lascaris editionem principem superstruxit. E = Parisinus not. n. 2763. (olim Colbertinus 4906. vel Regius 3202.). F = Ambrosianus B. 98, qui tamen non ex ipso fluxit Philelphi apographo, sed ex alio codice inde descripto, qui iam non est superstes. Neque qui iam sequuntur: G (Vindobonensis n. 318.), H (Lugdunensis sive Vossianus 59.), I (Vaticanus 1379.) codices ex apographo Philelphi ipso originem habent, sed ex alio quodam libro inde derivato, qui tamen diversus fuit ab eo, ex quo F cod. fluxit.

19) L = Ruhnkenianus sive Mosquensis. M = Parisinus II. n. 456.

archetypi illius Byzantini, quod his temporibus iam non videtur exstare[20]), condicione censeat. Ac primum quidem codicem illum archetypum scriptum fuisse conicit in folio quod dicunt minore, ut in pagina versus essent fere terni viceni. Quae tamen ad comprobandam hanc sententiam attulit argumenta, ea negarim esse talia, ex quibus certum de archetypo illo feratur iudicium. Neque enim ex earum, quae in Callimachi hymnis nobis occurrunt, lacunarum, vicenorum ternorum versuum spatio diremptarum, condicione satis apparere videtur, in singulis archetypi paginis versus fuisse viginti tres, neque Vaticani XXXVI (B), qui ex Aurispae fluxit apographo, librarium ea in re, quod in singulis codicis paginis versus posuisset viginti tres, servare voluisse contenderim cum Aurispae apographo codicis archetypi imaginem. Quam maxime tamen mihi probatur, quod Schneiderus archetypum illud Byzantinum docet scriptum esse saeculo XI. Si enim, quae duobus codicibus Vaticanis sunt peculiaria, cum Iliadis codicis Veneti B n. 453, qui saeculo XI. est scriptus, proprietatibus comparaverimus, in plerisque utrumque ita inter se videbimus consentire, ut sane non sit dubitandum, quin ad idem, cuius est codex Venetus B, Callimachi archetypum referendum sit saeculum

Ne tamen disputatio nostra longius aberret ab eo, quod est propositum, ad ipsum iam Callimachi accedamus hymnum, qui est in Iovem. Editionem in enarrando hymno hoc secutus sum Meinekii; a quo viro excellentissimo quibus quoque loco rebus dissentiam, ex ea quae sequitur apparebit commentatione

Hymno hoc Iuppiter deus a poeta ita celebratur, ut uno hoc carmine fabularum, quae ad deum hunc pertinebant, totus fere comprehendatur orbis. Nam aperto, quo carmen scripsisset, consilio (vv. 1—3.) duplicem illam, quae de Iovis incunabulis ferebatur, attingit fabulam. Cretibus vero, qui deorum principem in Idaeis montibus contendebant esse natum, fide non habita in Lycaeo, qui Arcadiae erat mons, Rheam eum peperisse dicit (vv. 1—15.). Quod Rheae puerperium magnae Arcadibus fuisse saluti. Frustra enim deam, cum tota Arcadia eo tempore fuisset sicca, quaesisse aquam, qua puerum recens natum ablueret. Necessitate igitur coactam e monte baculo percusso elicuisse aquam puerumque lavasse. Inde vero ab hoc tempore Arcadiam aqua abundasse (vv. 15—33.). Iam poeta, qui Iovem in Idaeo monte natum esse negavit, hoc quidem Cretensium fabulae tribuit, ut, quem Rhea in Arcadia peperisset, puerum in Creta insula concederet esse altum atque educatum Nedae igitur nymphae dicit Rheam puerulum dedisse ferendum Cretaeum in antrum, ubi clam Saturno patre educaretur. Quo loco haud inepte addit, flumen, quod e fonte illo a Rhea procreato profluxisset, a dea nymphae gratiam referente Nedae appellatum esse nomine, campumque illum Omphalium haud procul a Cnoso urbe situm inde nomen suum cepisse, quod Iovi puerulo loco hoc decidisset umbilicus (vv. 33—45.). In antro Cretaeo, pergit poeta, deum Amaltheae caprae lacte apumque Idaearum melle nutritum, a nymphis educatum, a Curetibus custoditum brevi tempore ingressum esse pubertatem caelique, cum ingenii excelleret praestantia, obtinuisse imperium (vv. 45—60). Quod non sorte ei obtigisse, sed sua ipsius vi atque robore Iovem rerum potitum esse, qui, ut alitum longe praestantissimum auguriorum suorum instituisset nuntium, ita inter homines qui excellerent, eos in terris sui vicarios esse voluisset. Minorum igitur rerum, in quibus singuli homines versarentur, administratione singulis concessa diis ipsum Iovem reges in fidem suam recepisse (vv. 60-83.). Qua occasione regum laudandorum oblata in Ptolomaei regis poeta delabitur

20) Neque Aurispae nec Philelphi apographa hodie exstare videntur. cf. Schneid. l. l

laudes, quem cum divitiis, a Jove regibus tributis, tum ingenii praestantia ceteris antecessisse dicit regibus (vv. 83—90.) Usitata denique hymnographorum clausula poeta carminis finem cum faciat, Iovem deum, quem nemo ut deceat possit celebrare, iterum iterumque valere iubet atque orat, ut quibus vere beari possint homines, donet muneribus, divitiis atque virtute (vv. 90—96.).

Quod carminis argumentum si quis attentius perlustraverit, eum non fugiet, tres maxime in eo eminere partes: Rheae puerperium Iovisque ortum, Iovis pueruli in Creta insula educationem, Iovis denique iam regis praedicationem. Maioribus his, in quas carmen dividitur, partibus aliae occasione oblata inseruntur res, quae minoris quidem sunt momenti neque tamen nihil ad deum ipsum, in cuius laudibus totum hoc carmen versatur, conferunt celebrandum.

His praemissis iam in singulos carminis inquiramus locos. Celebraturum igitur sese esse ait poeta in prooemio Iovem deum, qui gigantes caelo arma inferre ausos vicerit praemiumque huius victoriae totius mundi imperium tulerit. Quos vero Callimachus v. 3. appellat *πηλογόνους*, ii ab aliis poetis graecis vulgo *γηγενεῖς* vocantur[21]) i. e. terrigenae, quippe quos terra Urani sanguine gravidata genuerit[22]). Facile igitur ex iis, quae de gigantum origine a veteribus traduntur, colligas, optimo iure Callimachum eos, qui vulgo vocantur *γηγενεῖς* appellasse *πηλογόνους*, neque offendendum esse in ea, quae in omnibus libris manu scriptis servatur, lectione. Librorum tamen scripturae quam maxime repugnant, quae alibi leguntur. Inveniuntur enim in Etymol. M. p. 669, 51. haec: *Πηλαγόνες οἱ Γίγαντες. Καλλίμαχος ʽΠηλαγόνων ἐλατῆρα. εἴρηται παρὰ τοῦ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι, τουτέστι ἐκ γῆς.* Apud Herodianum vero legimus: *Πηλεγόνος Πηλεγόνον ἐλατῆρα* (leg. *Πηλαγόνος Πηλαγόνων ἐλατῆρα* Meinek.). Ab Hesychio haec traduntur: *Πηλαγόνες· γέροντες,*[23]) *παλαιοί, γηγενεῖς.* Addenda etiam Suidae verba: *Πηλαγονία, μοῖρα Μακεδονίας, τὸ ἐθνικὸν Πελαγών· καὶ ὄνομα γίγαντος* et Steph. Byz.: *Πηλαγονία, μοῖρα Μακεδονίας, οἱ οἰκήτορες Πηλαγόνες* et Strabonis: *καὶ οἱ Τιτᾶνες*[24]) *ἐκλήθησαν Πελαγόνες.* Non mirum igitur, viros doctos tam multis veterum scriptorum testimoniis nixos libris fidem non habuisse. Ac primus quidem Salmasius, quod in Etymol. M. ‚*Πηλαγόνων*‘ legitur, Callimacho restituendum docuit. Quem secutus Stanleius[25]): ‚Claudianus‘, inquit, ‚Iovem summum Terrigenum regem vocat, ut Callimachus *πηλογόνων ἐλατῆρα.* an potius *πηλαγόνων*, prout habent Etymologicum et Lexica?‘ Post eos autem Bentleius multique recentiores librorum scripturam reicientes ‚*Πηλαγόνων*‘ legi voluerunt. Quorum sententia Passovio non probatur, qui Schneidero teste[26]) codicum lectionis patrocinium suscepit. Neque Lobeckius[27])

---

21) cf. Batrachom. 7: *γηγενέων ἀνδρῶν* et Soph. Trachin 1058: *ʽο γηγενὴς στρατὸς γιγάντων.*

22) cf. Hesiod. Theog. 183: *ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ʼαπέσσυθεν αἱματόεσσαι, | πάσας δέξατο Γαῖα· περιπλομένων δ'ἐνιαυτῶν | γείνατ' Ἐριννῦς τε κρατερὰς μεγάλους τε Γίγαντας | τεύχεσι λαμπομένους, . . .* et Orph.: *οὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακαρέσσι, | οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.* cf. etiam Schol. ad h. l. et Euripid. Herc. 179: *τοῖσι γῆς βλαστήμασι γίγασι.*

23) Bentleius reponendum putat *γίγαντες*. cf. Blomfield. annotat. in Callimach. p. 73.

24) Titanum et Gigantum memoria saepe a veteribus confundebatur, cf. Lobeck. Aglaoph. p. 584. Iam apud Euripidem Titanes iidem sunt atque Gigantes. cf. Preller. griech. Mythol. I². 61.

25) cf. Stanl. ad Aeschyl. Prometh. 351.

26) cf. Philol. VI. p. 495.

27) cf. Lobeck. Phrynich. p. 647.

eos, qui Etymologum sequuntur, laudat, nam: ‚Πηλάγονες (Pelegones)', inquit, ‚Callimachum pro πηλόγονοι dixisse Etymologi commentum est, cui miror fidem fuisse.' Neque equidem iis assentiar, qui Etymologo maiorem censent habendam esse fidem quam libris. Quamquam non ignoro, quam maxime eos esse depravatos incertissimosque auctores[28]). Quod tamen non est impedimento, quominus hoc loco grammaticos minus ad Callimachum emendandum conferre cautionemque in ipsis laudandis adhibendam esse statuamus. Eosdem enim, qui Πηλαγόνων Callimachi esse testantur, grammaticos prorsus sibi non constantes, voce hac nihil aliud a poeta exprimi docere vidimus, nisi quod vulgo ‚γηγενεῖς' significari solebat voce. Quomodo autem ex ‚πηλός' et ‚γεγονέναι' fieri potuit: ‚Πηλάγων, Πηλάγονος'? Immo nominis illius gigantum originationem a grammaticis traditam respicientibus ‚πηλόγονος, πηλόγονοι scribendum est[29]). Quod Meinekius intellegens eo difficultatem tollere sibi visus est, quod, ut Πηλαγόνων lectionem defenderet, nomen illud gigantum a Callimacho traditum eodem referendum esse statuit, quo Pelagonum, Pelagoniae incolarum, cum Pelagoniam vicinasque regiones gigantum habitam esse sedem veterum scriptorum constaret testimoniis. Nomen autem ipsum Πηλαγόνες vel Πελαγόνες antiquam ei denotare videtur gentem. Cognatum enim esse, ut e Strabonis[30]) conicit verbis, cum vocabulo πέλιος. Quae tamen Meinekii coniectura mihi quidem non satisfacit. Nam ut omittam, prorsus incertis, quod de Πηλαγόνων nominis Meinekius opinatur originatione, niti fundamentis[31]), vix puto fieri potuisse, ut grammatici, si re vera, quo Callimachus gigantes appellavit, nomen ad Pelagoniam eiusque terrae incolas referendum esset, eo quo vidimus vocem hanc explicarent modo. Quod autem plurimum valet, ne consentiunt quidem grammatici inter se in scribenda, de qua agitur, voce, nam et Πηλεγόνες et Πηλαγόνες et Πελαγόνες legimus. Consentiunt tamen in derivando, quod apud Callimachum legerunt, nomine, ex ‚πηλός' atque ‚γεγονέναι' compositum esse docentes. Neque denique Callimachus ipse ab omnibus poetis adeo recessisse putandus est, ut quos illi appellabant ‚γηγενεῖς', terrigenas (terra genitos), eos a terrae cuiusdam denominaret incolis, quippe quorum maiores fuissent illi, quos commemoravit, gigantes. Quod autem ad ipsam ‚πηλόγονος' attinet vocem, Callimachum in conformanda ea secutum esse Aeschylum, quem ut ceteros tragicos persaepe imitatur[32]), ex Aeschyli ipsius apparet fragmento a Proclo ad Hesiod. O. et D. 156. tradito, ubi sunt haec:

> ‚ἔτ' ἄλλο τέταρτον· τουτέστι τὸ ἐκ Πανδώρας γένος, ἥτις ἦν κατὰ τὸν Αἰσχύλον
> τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γυνή.'[33].

Ut Callimachi interpretes, quod apud grammaticos invenerunt, ‚Πηλαγόνων' substituendum esse censuerunt pro ea, quae libris traditur, lectione, ita Blomfieldus, quod apud Nonnum, acerrimum Callimachi imitatorem, saepius legitur: ‚(Τιτήνων vel γηγενέων) ὀλετῆρα' nostro loco restitui

28) cf. Schneid. praef. p. XLI. sq. Meinek praef. p. VII. sq.

29) cf. Phrynich. (ed. Lobeck.) p. 617: τὰ εἰς ‚ος' ὀχταχῶς συντίθεται· ἢ . . . . ἢ ἀποβάλλει τὸ ‚σ' καὶ τρέπει τὸ ‚ο' εἰς ‚α' καὶ προσλαμβάνει τὸ ‚ι', Κλυταίμνηστρα.

30) cf. Strab. Exc. VII. p. 73. Kr: ‚κατὰ Θεσπρωτοὺς καὶ Μολοττοὺς τὰς γραίας πελίας καὶ τοὺς γέροντας πελίους, καθάπερ καὶ παρὰ Μακεδόσι. πελιγόνας γοῦν καλοῦσι τοὺς ἐν τιμαῖς.

31) Strabo enim eos tantum, qui aetate sint provectiores ob eamque causam in maiore apud alios honore, appellat ‚πελιγόνας', ut etiam Hesychius, qui: 'Πελιγάνες', inquit, ‚οἱ ἔνδοξοι· παρὰ δὲ Σύροις οἱ βουλευταί'.

32) cf. Schneid. l. l. I. p. 164, 178, 282, 318, 321, 333, 353, 414; II. p. 47. sq., 385, 441, 448.

33) cf. Aeschyl. (ed. God. Herm.) fragm. 216

voluit. Retinendum tamen esse librorum: ‚*ἐλατῆρα*' et ex iis, quos Schneiderus (p. 137) attulit, apparet locis et ex Hesiodi Theog. 820:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτᾶνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς
Ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφώεα Γαῖα πελώρη.

Poeta, postquam nihil sibi videri dixit convenientius Iovis sacrificio, quam deum ipsum a se celebrari (vv. 1—3.), duobus, qui iam sequuntur, versibus (4—5.) in dubio se esse ait, utrum Iovem canat, Dictaeum an Lycaeum. Quam poetae sententiam Schneiderus haud intellegens Callimachum, qui prioribus versibus, se iam saepe Iovem celebrasse, ipsi innuere videtur, v. 4. in hunc sensum facit quaerentem: ‚quomodo etiam nunc celebrabo Iovem, saepe illum celebratum?' Quam tamen, quae in iis, quae libris traduntur: ‚*πῶς καί νιν*' verbis non inest, sententiam ut efficiat, ‚*πῶς καὶ νῦν*' vult legi, nam: ‚praeter pronominis', inquit, ‚formam, ab epici sermonis consuetudine abhorrentem, offendit etiam usus particulae *καί*, quae non habet quo referatur. Neque enim *καί* cum pronomine sociari potest, cum alius quis, quem praeter Iovem poeta celebraverit, cogitari in primi huius hymni initio nequeat. sin vero *καί* ea ratione positum putas, qua saepe ponitur post voces, quae interrogando inserviunt, oratio secum ipsa non constabit. Nam qui quaerit *πῶς καὶ ἀείσομεν*, is num omnino canendum sit, dubitare se indicat.'[34]) At, ut praetermittamus, nullo modo elici posse, quam Schneiderus vult, e Callimachi verbis sententiam, — qua poeta, se iam saepe Iovem celebrasse, ei innuere videtur — quippe quae omnino non insit, neque opponi, quo poeta canit, tempus antecedenti, ne loquendi quidem ratione prohibemur, quominus librorum retineamus lectionem. Quod enim ad ‚*νίν*' pronominis attinet formam, ab epici sane sermonis, ut recte Schneiderus animadvertit, consuetudine abhorrentem, hoc cum Meinekio est monendum[35]), Callimachum, ut orationi poeticum colorem conciliaret, non anxie ubique dialecti constantiam servasse, sed, ut ipsi commodum videretur, etiam epicum sermonem rarioribus et ab ionica oratione alienis formis tamquam gemmulis distinxisse. Non probanda igitur Schneideri sententia contendentis[36]), Callimachum h. in Dian. 125. et 213, frgm. 183. ‚*φίν*' sola metri necessitate coactum scripsisse, ‚*τίν*' autem pronominis forma, quae h. in Dian. 90, epigr. 35. et 36. legitur, ob eam causam usum esse, quod apud Homerum legisset *τεΐν*. Quid? quod etiam frgm. 220. et 420. scriptum esse traditur ‚*νίν*'? cui tamen voci utroque loco Schneiderus male substituit ‚*μίν*' formam. Neque vero in *καί* particulae usu hoc loco Schneiderus offendere debuit. Cum pronomine quidem sociari non potest. Quod tamen de particula hac, quae post voces interrogando inservientes ponitur, ex Hermanni[37]) Schneiderus disputavit sententia, id re non ab omni parte ponderata dictum neque in alios multos neque in eum, qui in Aeschyl. Agam. inest, cadit locum. Recte enim, quod apud Aeschylum (Agam. 269. ed. Blomfield.): *ποῖον χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις*; legitur, Blomfieldus vertendum esse censet: ‚sed dic praeterea, quantum

34) cf. Philol. VI. p. 516.

35) cf. Meinek. diatrib. p. 201. sq.

36) cf. Schneid excurs. p. 137. sq.

37) cf Hermann. ad Viger. p. 843. sq., quem etiam Stallbaum. ad Platon. Euthyphr. II. 156. secutus: ‚Etenim', inquit, ‚indicat illa (sc. *καί* particula) dubitationem quandam de ea re, de qua dicitur, ut in formula *τί χρὴ καὶ λέγειν*; was soll man auch sagen? qua significatur non solum quid, sed etiam an aliquid dicendum sit, dubitari: quid dicendum est, si omnino aliquid dicendum est, quod ipsum incertum. Sic qui interrogat: *τί χρὴ προσδοκᾶν*, is exspectat aliquid, sed dubius haeret, quid sit quod eventurum sit. Qui autem dicit, *τί χρὴ καὶ προσδοκᾶν* is desperat omnino aliquid esse eventurum'.

temporis elapsum sit, ex quo . . . .' Eandem *καί* particulae tribuendam esse significationem Porsonus[38]) docet. Maior interrogationi vis additur *καί* particula:

‚Νηλεὲς ὦ δαῖμον, τί δέ μοι καὶ φέγγος ἔδειξας
εἰς ὀλίγων ἐτέων μέτρα μινυνθάδια;
ἢ ἵνα . . . . (Jacobs. Anthol. *ἐπιτύμβια* 334.)

et (Jacobs. *ἐπιδεικτ.* 669.):

οὗτος ʼΕΡΩΣ. τί γὰρ ἄλλο καὶ ἔπρεπεν οὔνομα χώρῳ;

Non sine gravitate quadam copula additur etiam interrogationi huic: *‚κοὐχὶ τάχος ῥίψεις, οὐ γὰρ θέμις* cet. (epid. 122.). Optimo igitur statui posse puto iure, non tam exiguis, quam volunt Hermannus et, qui eum secutus est, Schneiderus[39]), *καί* particulae interrogationi additae significationem circumscribendam esse terminis, sed omnino particula hac interrogationi maiorem addi vim atque gravitatem[40]), quae pro loci cuiusque sententia et minuitur et augetur. Latina igitur lingua vel omnino *καί* illud non vertendum vel apta aliqua ad augendam sententiam addenda particula: ne, an, anne, nam, (quisnam), vero, at, tamen, tandem, praeterea cet. Quod etiam magis intelleges, si in eos, quos Porsonus l. l., Jacobsius (Anthol. Pal. pp. 101, 296, 479.), Stallb l. l., Krüger. (ad Xenoph. Anab. I. 8, 16.) alii protulerunt, locos accuratius inquisieris[41]). In eam igitur, quam supra diximus, sententiam locum nostrum accipienti Callimachi verba vertenda sunt ita: ‚At qualem (qualem tamen, sim.) ipsum canemus? Dictaeum an Lycaeum? —‘

Verbis his poeta magnum illud, quod de Iovis patria inter Arcades et Cretenses erat, indicat certamen, qui populi inter omnes, qui Iovem civem et alumnum sibi vindicabant, praecipue inter se aemulabantur eximia huius dei memoriam colentes religione. In Creta insula praeter alios, quibus Iuppiter natus esse tradebatur, locos[42]) etiam Dictaei montis accolae deum hunc apud se natum esse gloriabantur; inde deus ipse a Callimacho l. h. appellatus Dictaeus. Qui vero apud Arcades colebatur Iuppiter Lycaeus, a Lycaeo denominatus est monte. In dubio igitur sese esse fatetur poeta, utrum deum, Iovis appellatum nomine, celebret, utrum Arcadibus maiorem habeat fidem an Cretensibus, cum prorsus sit incertum, sitne in Arcadia Iuppiter natus an in Creta insula. Versu vero 6. iam ad deum ipsum sese convertens orat poeta, ut is verum aperiat atque utri sint mentiti, ostendat. At voce *‚ἐψεύσαντο'* (v. 7.), quae oratione ad deum conversa continetur, de callida mendacique Cretensium monitus mente, quod iam proverbii iactabatur vice, exclamat: *‚Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται,* Cretenses, pater optime maxime, mentiti sunt, mentiuntur enim semper. Quin usque eo progressi sunt nequitiae atque impudentiae, ut etiam sepulcrum tuum sibi esse gloriari non dubitent, quamvis inter omnes constet, te esse immortalem.‘ Num Phoenicum pravi

---

38) cf. Porson. ad Euripid. Phoen. 1373.

39) Ne ipse quidem Porsonus veram atque propriam *καί* particulae satis videtur intellexisse significationem.

40) cf. Krüger, griechische Sprachlehre I. 2, §. 69, 32, 16. sq.

41) Enotandi videntur: Xenoph. Anab. I. 8, 16; V. 8, 2; VII. 7, 10; Soph. Ai. 1290; Oed. R. 1128, 989, 772; Antig. 770. sq., 1314; Eurip. Hec. 519, 1055, 1191; Alc. 846; Androm. 396; Iph. A. 1202; Platon. Alcib. 1, 6; Euthyph. c. 2.

42) cf. v 6, quo in Idaeis montibus Iuppiter natus esse dicitur; cf. etiam Hesiod. (theog. 468. sq.), qui Rheam, Iovis matrem, Telluris consilio in urbem abiisse Lyctum ibique puerum peperisse dicit. Recentem vero a partu filium occultasse traditur mater

ἄντρῳ ἐν ἠλιβάτῳ ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης,
Αἰγαίῳ ἐν ὄρει πεπυκασμένῳ ὑλήεντι (Hesiod. theog. 482. sq.)

mores[43]), qui magnam Cretae insulae occuparunt partem, ita praevaluerint, ut in omnium postea Cretensium sucum, ut ita dicam, abirent et sanguinem, diiudicari non potest. Superasse eos tamen perfidia omnes antiquitatis populos[44]), facile ex iis colligas, quae de ipsorum moribus a veteribus scriptoribus traduntur[45]). De ipsius proverbii, quo Callimachus loco nostro usus est, quod ab Epimenide sumptum esse traditur, origine alii alia proferunt[46]). A Scholiasta[47]) Idomeneo Cretensi tribuitur, qui praedae a Troianis factae, quam Graecis acceperat distribuendam, maiorem avertit partem. Alia de causa huius dicti originem eidem Idomeneo tribuit Ptolomaeus Hephaestio in Photii bibliotheca p. 483.[48]), qui ‚*Ἀθηνόδωρος*', inquit, ‚*ὁ Ἐρετριεὺς ἐν ὀγδόῳ ὑπομνημάτων φησὶ Θέτιν καὶ Μήδειαν ἐρίσαι περὶ κάλλους ἐν Θεσσαλίᾳ, καὶ κριτὴν γενέσθαι Ἰδομενέα, καὶ προσνεῖμαι Θέτιδι τὴν νίκην. Μήδειαν δὲ ὀργισθεῖσαν εἰπεῖν, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ ἐπαράσασθαι αὐτῷ μηδέποτε ἀλήθειαν εἰπεῖν, ὥσπερ ἐπὶ τῆς κρίσεως ἐποίησε· καὶ ἐκ τούτου φησὶ τοὺς Κρῆτας ψεύστας νομισθῆναι.*' Qui vero sit factum, ut Cretenses Iovem apud se sepultum esse crederent, Scholiasta nobis tradit, docens, quod Minois, Iovis filii, sepulcrum fuisset, id postea habitum esse ipsius Iovis. Etenim, quod in monumento fuisset, elogii: ‚*Μίνωος τοῦ Διὸς τάφος*' verba: ‚*Μίνωος τοῦ*' temporum vetustate obliterata evanuisse, ut sola ‚*Διὸς τάφος*' relinquerentur verba. Alteram vero causam, cur Cretenses Iovis gloriarentur sepulcro, fuisse hanc: Corybantes, ut Iovem puerulum a Saturni patris defenderent insidiis, sepulcro exstructo patrem fefellisse, puerulum mortuum ibi conditum esse simulantes[49]).

Jam v. 10. Callimachus Arcadibus fidem adiungens Iovem dicit in Arcadia natum esse. Atque de hoc quidem dubitari nequit. Quaeritur tamen, utrum urbem an terram quandam Parrhasiam, quae pars fuerit Arcadiae, an etiam totam Arcadiam intellegi poeta voluerit. De Parrhasia urbe quominus hoc loco cogitemus, illis, quae statim sequuntur, prohibemur verbis: ‚*ἧχι μάλιστα ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές*'. Facile igitur terram, in qua Rhea dea Iovem pepererit, intellegendam esse Parrhasiam contenderis. Cum tamen Parrhasiae terrae in Arcadia sitae a veteribus mentio non fiat, alii aliter coniciunt. Ac Meinekius quidem, sese ex Origin. c. Cels. III. p. 132: ‚*ἐν δέ σε Παρρασίοις*' scripturum fuisse dicit, nisi Originem[50]) memoriter Callimachi versum citare intellexisset. Quod tamen olim in Analect. Alexandr. p. 160. in *Παρνασίῃ* (quod multi habent libri) latere coniecerat doctam nominis formam *Παρβασίῃ*[51]), id postea ipse reiecit, librorum servans lectionem ‚*Παρρασίῃ*' exhibentium, quod de Parrhasiorum intellegendum docet dicione. Neque Schneiderus libros, qui *Παρρασίῃ* habent, secutus, quicquam

---

43) de Carthaginiensium, qui Punici erant coloni, perfidia Romanos consulas scriptores, qui quam intellexerint fidem Punicam haud ignoramus.

44) Exceptis solis Cappadocibus Cilicibusque, quos Cretensibus inferiores hac re non fuisse trito illo probatur proverbio: ‚*τρία κάππα κάκιστα.*'

45) cf. ea, quae ad h. l. apud Ernestium interpretes proferunt exempla

46) cf. Spanhemii observatt. in Callim. hymnos p. 32.

47) *παροιμία ἐστὶ τὸ κρητίζειν ἐπὶ τοῦ ψεύδεσθαι, ἀπὸ Ἰδομενέως τοῦ Κρητὸς ῥηθεῖσα, ὃς λαχὼν μερίσαι τοῖς Ἕλλησι τὰ λάφυρα τοῦ Ἰλίου τὰ κρείττω ἑαυτῷ περιεποιήσατο* (Meinek.).

48) cf. Blomfield. annot. in Callim.

49) cf. Schol. ad h. l.

50) qui pro: ‚*ἧχι μάλιστα*' habet: ‚*εὐνηθεῖσα.*'

51) cf. Steph. Byz s. v. *Παρρασία: Νικάνωρ δὲ Παρβασίαν φησὶν αὐτὴν κεκλῆσθαι διὰ τὴν Λυκάονος εἰς τὸν Δία παρανομίαν.*

mutandum censet [52]). Parrhasiam autem dicit totam appellari Arcadiam [53]). Qui vero accuratius ad ea, quae nostro loco leguntur, animum advertit, intellegit, de terra, in qua Iuppiter natus sit, omnino non esse cogitandum. Quomodo enim cum *Παρρασίῃ* voce coniungantur verba, quae sequuntur: *ἧχι μάλιστα ἔσκεν ὄρος θάμνοισι περισκεπές*? Quidnam est illud: ‚in Parrhasia Rhea te peperit, ubi praecipue mons erat virgultis obumbratus'? An putemus poetam verbis his exprimere voluisse, ea Parrhasiae parte Iovem natum esse, quaesset mons ille obumbratus? Immo verbis: *ἧχι μάλιστα ἔσκεν ὄρος'* . . satis monemur, de monte ipso, in quo Juppiter natus esse credebatur, Callimachum loqui, montisque latere nomen in ea, quae in libris legitur, *Παρρασίῃ* voce. Quod Arnaldus [54]) intellegens alterum Callimachi locum (h in Dian. 98. sq.):

‚ἔνθεν ἀπερχομένη . . . .
εὗρες ἐπὶ προβολῇς ὄρεος τοῦ Παρρασίοιο
σκαιρούσας ἐλάφους, ...

secutus optime etiam hic poetae *‚ἐν Παρρασίῳ* (sc. *ὄρει*) restituendum iudicavit. *Ἐν Παρρασίῳ* autem etiam scholiasta in libro suo legisse videtur, qui ut vocem, de qua agitur, explicet. *‚ὄρος'*, inquit, *‚Ἀρκαδίας τὸ Παρράσιον ἀπὸ Παρράσου τοῦ Λυκάονος.'* Parrhasium vero appellatum esse loco nostro a poeta montem illum Lycaeum, in quo Iuppiter ab omnibus Arcadibus credebatur natus esse, non miraberis, si in Parrhasiorum finibus eum situm fuisse consideraveris. Coniectura igitur hac facillima facta tota oratio quam optime procedit, sententiaque redundat optima haec: ‚In Parrhasio vero te Rhea peperit (monte), eaque (huius montis) parte, qua mons ille maxime virgultis erat obumbratus.'

Poeta locum, quo Rhea Iovem peperisset, sanctum esse commemorans

‚οὐδέ τί μιν,' inquit, *‚κεχρήμενον Εἰλειθυίης*
ἑρπετὸν οὐδὲ γυνὴ ἐπιμίσγεται· ἀλλά ἑ Ῥείης
ὠγύγιον καλέουσι λεχώιον Ἀπιδανῆες.'

Quamquam omnes hoc loco Callimachi libri *‚μιν ἐπιμίσγεται'* habent, tamen poetam ita non scrip-

---

52) Nonni Dionys. XIII. 291. nititur verbis: *‚Παρρασίην τ' εὔδενδρον, ὅπῃ πέδον ἐστι θεαίνης ἀστιβὲς ἀρχεγόνοιο λεχώιον εἰσέτι Ῥείης.'*

53) Sequitur Eustath. ad Dionys. Perieg. 414. testimonium: *‚Ἰστέον δὲ . . . . ὅτι καὶ Πελασγία ποτὲ ἐκλήθη* (sc. *Ἀρκαδία*) *καὶ Παρρασία καὶ Λυκαονία καὶ Γιγαντὶς καὶ Ἀζανία',* et Steph. Byz (ed. Meinek 120, 7.): *‚ἐκλήθη δὲ* (sc. *Ἀρκαδία*) *καὶ Παρρασία καὶ Λυκαονία· οἱ δὲ καὶ . . . Ἀζανίαν'* et Cramer. Anecdot. Graec. IV. 188: *‚Παρασίην ἐνέμοντο· Παρὰ τὴν Παρασίην ᾤκουν. τινὲς μὲν πόλιν· τινὲς δὲ ὅλης τῆς χώρας ὄνομα τὴν Παρασίην λέγουσι'* (Cyrilli Lexic.). Quibus tamen locis non prohibemur, quominus Parrhasiam etiam partem aliquam Arcadiae appellatam fuisse statuamus. (cf. Steph. Byz. qui hoc quidem loco Azaniam totam appellatam fuisse dicit Arcadiam, altero vero (30, 15. Meinek.) Azaniam docet Arcadiae fuisse partem.) Immo in Crameri illo testimonio quod *‚ὅλης τῆς χώρας ὄνομα'* legitur, id opponi apparet antecedentibus: *‚τινὲς μὲν πόλιν',* faciliusque *‚ὅλης τῆς χώρας'* verbis regiones extra urbem ipsam sitas et ad urbem pertinentes significari h l. statuatur, quam de tota cogitetur Arcadia. Complures Arcadiam incoluisse gentes, inter quas Azanes et Parrhasios, Strabo (Geograph. VIII 8, 20.) docet: *Ἀρκαδία δ' ἐστὶν ἐν μέσῳ τῆς Πελοποννήσου . . . . δοκεῖ δὲ παλαιότατα ἔθνη τῶν Ἑλλήνων εἶναι τὰ Ἀρκαδικὰ Ἀζᾶνές τε καὶ Παρράσιοι καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι'.* Ut igitur eam Arcadiae partem, quam Azanes incolebant, appellatam fuisse constat Azaniam, ita etiam Parrhasiorum terrae conicias nomen fuisse Parrhasiae, iniuria tamen temporum nobis non traditum nisi de ipso Parrhasiorum capite. Non unius denique urbis Parrhasiorum fines circumscriptos fuisse moenibus, neque exiguam in ipsorum potestate fuisse Arcadiae partem, plures urbes continentem, ex Thucyd. V. 33. apparet. Aptius igitur, si omnino loco nostro de terra cogitandum, de ea Arcadiae parte, quae Parrhasiorum continebatur finibus — ubi situs erat mons Lycaeus — quam de tota cogitetur Arcadia.

54) cf. Meinek. l. l.

sisse atque locum vitio esse inquinatum, omnes inter se consentiunt viri docti. Et recte quidem. Excepto enim hoc loco nusquam *ἐπιμίσγεσθαι* verbum cum accusativo coniungitur nisi interveniente praepositione. Mirum igitur, quod Aulinus, quem vero secutus est nemo, vulgatae lectionis patrocinium suscepit, locum nostrum cum Call. h. in Dian. 235: ‚*οὔρεα πλαζομένας*' comparans. Quod tamen multum ab eo, quod hoc loco legitur, differre, iam Schneiderus recte animadvertit. Facilius quispiam Hesiod. Theog. 804. nixus, quod nostro loco in libris traditur: ‚*μιν ἐπιμίσγεται* defendere susceperit. Ubi quod: ‚*δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις εἰρέας ἀθανάτων, οἳ Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν*' legitur, cum Lennepio [55]) crediderim librariis non esse tribuendum vixque dubitandum, quin ab Hesiodo ipso sit scriptum [56]). Nihilo tamen setius ne hic quidem locus talis est, quo nisus nostrum defendas. Quamquam iungitur illic *ἐπιμίσγεσθαι* cum accusativo praepositione non intercedente; facile tamen praepositio ex iis, quae antecedunt, intellegi potest. Cum enim v. 802. legatur: ‚*οὐδέ ποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται οὐδ' ἐπὶ δαῖτας*' eo, qui statim sequitur, loco: ‚*δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις εἰρέας ἀθανάτων*' vix iam praepositio desideretur suoque iure a poeta usu loquendi haud repugnante omitti poterat. Nullo tamen modo Callimachus ‚*μιν ἐπιμίσγεται*' scribens excusari potest. Sanandus igitur est locus tam aperto corruptus vitio, quamvis libri repugnent. Male tamen locum curarunt, qui cum Benenato in ‚*ἐπιμίσγεται* verbo, quod et apud Callimachum legitur [57]) et Homero et aliis est usitatissimum [58]), vitii sedem inesse rati ‚*ἐπινίσσεται* scribendum esse censuerunt, quod verbum neque Homero notum est neque apud Callimachum usquam invenitur. Quod intellegentes viri docti in ‚*μίν*' accusativo, quae latet, corruptelam alii aliter amovisse sibi visi sunt [59]). Inter omnes vero, qui locum sanandum curarunt, unius Meinekii probanda mihi videtur coniectura pro corrupto illo *μίν* facillima litterarum initialium mutatione *φίν* restituentis. Schneidero quae iniciuntur *φίν* formula dubitationes, iis tolluntur, quae de *νίν* pronominis forma versu 4. a Schneidero impugnata [60]) disputavimus. Ut autem *σφίν* pro singulari est: Soph. Oed. Col. 1489:

ἀνθ' ὧν ἔπασχον εὖ, τελεσφόρον χάριν
δοῦναί σφιν, ἥνπερ τυγχάνων ὑπεσχόμην,

---

55) cf. Hesiod. Theog. ed. Lennep. p. 100.

56) cf. tamen Schneid. l. l.

57) cf. h. in Dian. 20: *οὔρεσιν οἰκήσω, πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*; h. in Delum 39: *τόφρα μὲν οὔπω σοι χρυσέη ἐπεμίσγετο Λητώ.*

58) cf. Hom. Odyss. VI. 204. sq., 240. *Ἐπιμίσγεσθαι* verbum, cum Ionibus imprimis esset usitatum, saepissime apud Herodotum nobis occurrit, ut II. 104. I. 185 Reperitur etiam Thucyd. I. 13. IV. 118; Xenoph. rep. Ath. II. 7; Cyropaed. VII. p. 512; cf. etiam: *εὐεπίμικτος*, facilis aditu, ut: *χώρα πᾶσιν εὐεπίμικτος* apud Strab. XI. p. 493; *λιμὴν εὐεπίμικτος* apud Polluc. I. 100. (Ernest. ad Call. p. 8.).

59) Bentleius: *μεν*, Lennepius: *μήν* substituendum esse putavit. Quorum tamen neutrum probandum esse Schneiderus intellegens in Philol I. p. 268. *ἵν* scribi voluit, quo reiecto in Excurs. in Call. p. 139. *οἱ* Callimacho reponit.

60) Altius Blomfieldus progreditur, qui tam infesto *φίν* formam, quippe quae non sit epica, persequitur animo, ut eam non solum Callimacho, etiamsi certissimis defendatur testimoniis, sed etiam Nicandro radicitus velit evelli. ‚Valde', inquit, (cf. Blomfield. annotat. in Dian. 125.) ‚suspectum habeo illud *φίν*, quod occurrit infra 213 (*ἰοδόκους ἐφόρησαν ἀσύλωτοι δέ φιν ὦμοι*), ubi legerem *ἀτύλωτοι σφισὶν ὦμοι*. In fragmentum 183 a Bentleio introducitur. Bis apud Nicandrum occurrit. Theriac. 725: *Ἀστέριον δέ φιν ἄλλο*, ubi Arnald. Lect. Gr. p. 157 tacite corrigit *νιν*. Sed legendum *νῦν*. Alexiph. 124: *Αὐτοὶ δ' ἀσχαλόως ἄλη δέ φιν ἤθεα φωτὸς Ἄψυχος πεδάει*, ubi legendum puto *ἄλη δέ τις*. Certe alienum est *φιν* . . .' Qui tam firmis iam a Meinekio (h. in Dian. 125.) refellitur argumentis, ut nihil videatur addendum.

Aeschyl. Pers. 760:

τοιγάρ σφιν ἔργον ἐστὶν ἐξειργασμένον

(cf. etiam hym. Homer. XIX. 19, XXX. 9, Hermann. Orph. p 792. et 797. et Buttm. Lexil. I. 17, 14.), ita etiam nostro loco *φίν* idem est atque *αὐτῷ*.

Quod ad sanctitatem illam loci, quo Rhea Iovem peperit, attinet, multa scimus fuisse sacra, ad quae non omnibus liber et promptus esset aditus. Multa Pausanias enumerat templa, quae semel tantum per annum patebant colentibus vel quae solis sacerdotibus adire permissum erat[61]). Adyta illa vel abata quae vocabantur alia aliis erant interclusa. Ut unum tantum afferam, fanum illud Magnae Matris ab Atheniensibus consecratum Athenaeus (X. 19.) tradit iis non licuisse adire, qui allium olerent[62]). Quod autem de eo, quo Iuppiter natus est, loco Callimachus dixit, idem legimus apud Pausaniam VIII. 26, 2: *ἔστι δὲ πρὸς τῇ κορυφῇ τοῦ ὄρους σπήλαιον τῆς Ῥέας καὶ ἐς αὐτὸ ὅτι μὴ γυναιξὶ μόναις ἱεραῖς τῆς θεοῦ ἀνθρώπων γε οὐδενὶ ἐσελθεῖν ἔστι τῶν ἄλλων*. Idem testatur Nonnus Dionys. XIII. 291, qui manifesta Callimachi imitatione habet haec: *Παρρασίην τ' εὔδενδρον ὅπῃ πέδον ἐστὶ θεαίνης ἀστιβὲς ἀρχεγόνοιο λεχώιον εἰσέτι Ῥείης*. Quod vero animal ,*μεμολυσμένον*' in illud Rheae introisset antrum, id animadvertit scholiasta affectum esse sterilitate neque iam umbram fecisse.

Locum, quo Rhea Iovem peperit, Callimachus dicit antiquitus appellatum esse Rheae puerperae lectum. Quinam intellegendi sint illi qui nominantur *Ἀπιδανῆες*, scholiasta docet, qui antiquis nomen illud testatur fuisse Arcadibus. *Ἀρκάδας Ἀπιδανῆας* Schneidero teste habent etiam, qui Callimachea in usum suum convertere solebant, Apoll. Rhod. IV. 263, Dionys. Perieg. 415, Nonn. Dionys. XIII. 294; habet etiam Eustathius ad Dionys. Perieg. 415[63]). Non consentit quidem cum Eustathio Stephanus Byz.[64]), qui, libros si sequimur, et ipse *Ἀπιδόνες*, *Ἀπιδονῆες* scripsit et Rhianum ita scripsisse testatur[65]). Neque apud Strabonem[66]) *Ἀπιδανῆας* legimus, sed *Ἀπιδόνας*. Quod tamen scrupulum nobis inicere non debet. Eos enim, quos supra laudavimus, testes librosque respicientibus dubitandum non est, quin Callimachi sit illud: *Ἀπιδανῆες* et quin alias, ut recte Schneiderus animadvertit, Callimachus secutus sit rationes *Ἀπιδανῆες* scribens atque ii, qui Poloponnesios et Arcades ab Apide Phoronei filio tradunt appellatos esse vel etiam a flumine quodam Apidone. Docere voluisse videtur nomen hoc ad eam, de qua paulo post (v. 18. sqq.) loquitur, Arcadiae referendum esse siccitatem. Quod etiam Eustathius testatur[67]), qui nonnullos tradit *Ἀπίαν* et *Ἀπιδανεῖς* dici voluisse *κατὰ στέρησιν τοῦ πιεῖν, καὶ τῶν πιδάκων*.

---

61) cf. Lobeck. Aglaoph. p. 279.

62) cf. Schoemann. Griech. Alterth. II. p. 208.

63) *καὶ Ῥιανὸς δέ φησιν κλυτὸς Ἆπις, ὅς ῥ' Ἀπίην ἐφάτιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδανῆας.*

64) cf. Steph. Byz. p. 104. s. v. *Ἀπία· οὕτως οἱ νεώτεροι τὸ Ἄργος καὶ τοὺς κατοικοῦντας Απιδόνας, ἀπο Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως, ὡς Ῥιανὸς ἐν Ἀχαϊκῶν δευτέρῳ,*

ἡμετέρη τοι τέκνα Φορωνέως ἦν δ'
ἀρχῆθεν γενεή. τοῦ δὲ κλυτὸς ἐκγένετ' Ἆπις,
ὅς ῥ' Ἀπίην ἐφάτιζε καὶ ἀνέρας Ἀπιδονῆας.

τὸ ἐθνικὸν Ἀπιεὺς δηλῶν τὸν Πηλοποννήσιον, καὶ Ἀπίηθεν τὸ ἐκ τόπου, καὶ Ἀπιδόνες καὶ Ἀπιδονῆες. Ἀπιδόνες δὲ καὶ οἱ Ἀρκάδες ἀπὸ Ἀπιδόνος ποταμοῦ ἢ τοῦ υἱοῦ Φορωνέως Ἄπιδος. Δημήτριος δὲ καὶ ποταμὸν Ἀπιδανὸν τῆς Τρωάδος φησίν.

65) cf. tamen Meinek., qui recte Stephano, Rhiani verba afferenti, Eustathii: *Ἀπιδανῆας* restituisse videtur.

66) Strab. Geogr. 319, 35.

Nescio tamen, an rectius coniciatur *Ἀπιδανῆες* nomen compositum esse ex *Ἀπία* (sc. *γῆ*), quae Peloponnesus appellabatur ab Apide rege, et *δανός* (aridus, siccus) adiectivo, ita ut eam Peloponnesi partem, quae postea vocabatur Arcadia, priscis illis temporibus ob aquae penuriam nominatam esse statueris *Ἀπιδανήν* i. e. *Ἀπίαν δανήν*, Peloponnesum siccam, terrae autem huius incolas *Ἀπιδανέας* vel *Ἀπιδανῆας*. Primam *δανός* adiectivi syllabam, quae est longa, in composito illo *Ἀπιδανεύς* nomine poetam contendas metri necessitate coactum corripuisse. Ab ipso denique Stephano de hac Callimachi scriptura aliquid additum fuisse conicias, quod postea sit omissum ab Hermolao[68]. Quod enim l. l.: ‚*Δημήτριος δὲ καὶ ποταμὸν Ἀπιδανὸν τῆς Τρῳάδος φησίν*' legitur, hanc ob causam appositum esse statueris a Stephano, ut ostenderet, quod Callimachus *Ἀπιδανῆες* scripsisset, id derivandum esse a fluvio illo Troadis Apidano. Sed de hac re quidem hactenus.

Iam quam Stephanus[69] scholiastam haud intellegens[70] magis sibi dicit placere, lectio: *ὠγύγιοι* (sc. *Ἀπιδανῆες*), tam firmis iam ab Ernestio refutata est argumentis, ut nihil fere iam addendum videatur. Mirum igitur, quod Blomfieldo non est persuasum. Si enim quis Stephanium illud *ὠγύγιοι* ideo necessarium putet, quod lectus Rheae non *ὠγύγιον λεχῷον*, sed simpliciter *λεχῷον* ab Arcadibus dici potuerit, huic recte monet Meinekius obvertendum esse, solere poetas ita loqui[71]; magisque est poeticum de terra dici, quam de populo *ὠγυγίῳ*. Immo nostro loco prorsus esset ineptum illud *ὠγύγιοι* cum *Ἀπιδανῆες* iunctum. Antiquitas enim illa Arcadum, quae significari videtur Blomfieldo *ὠγύγιοι* adiectivo, iam ipso, quo Callimachus eos appellavit, nomine satis indicatur. Quomodo tamen sit intellegendum illud *ὠγύγιον λεχώιον*, minus apte docere mihi videtur Ernestius, qui Eustathii[72] verbis nixus idem esse dicit atque lectum, quod antiqua fama sit notum ac celebratum. Melius mihi quidem *ὠγύγιον* adverbii loco accipiendum videtur locusque ita vertendus: locum illum antiquitus Rheae puerperae appellant lectum. Quod quam apte a Callimacho sit dictum, intelleget, qui cum Homerico illo comparaverit: *σκότιόν ἑ γείνατο μήτηρ* (Il. VI. 24.).

Cum Rhea Iovem peperisset, aquam dicitur quaesisse, qua partus ablueret sordes filiumque ipsum lavaret. At magna totam Arcadiam eo tempore laborasse aquae penuria. ‚Neque enim', inquit poeta, ‚iis, quibus postea, perfluebatur fluviis, magnaque aquae copia sub alta latebat terra (vv. 15—27.). V. 15. Eldikius[73] offendens in eo, quod Rhea Iovem filium diceretur deposuisse magno gremio, quod in libris legitur: *μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων* Callimacho non tribuendum esse censuit scribique voluit: *ἔνθα σ' ἐπεὶ μήτηρ μέγαν ὧν ἀπεθήκατο κόλπων*. Quae tamen coniectura, quam recte Meinekius animadvertit vix posse ferri, quam sit inutilis, videmus, si in eundem, qui *μεγάλων κόλπων* scripsisse traditur, inquirimus Callimachum, paulo post v. 30. *μέγαν*

---

67) cf. Ernest. l. l. p. 9

68) cf. Schneider. l. l.

69) cf. Ernest. l. l. p. 9.

70) qui *οἱ ἀρχαῖοι Ἀρκάδες* scribens solum Apidanum nomen explicare voluit.

71) cf. quem Meinekius Pindari frgm. 64. affert locum: *ἅντε βροτοὶ Δᾶλον κικλήσκουσιν, μάκαρες δὲ τηλέφαντον κυανέας χθόνος ἄστρον*, et h. in Del. 160: *ὠγυγίην δ' ἤπειτα Κόων Μεροπηίδα νῆσον ἵκετο.*

72) cf. Eustath. ad Dionys. Geogr. p. 417: *ὠγύγιος Λάδων· ὠγύγιον δὲ λέγει διὰ τὴν περὶ αὐτοῦ ἀρχαιολογίαν.*

73) cf. Meinek. l. l.

deae πῆχυν laudantem. In hymno in Dian. v. 76. poeta Brontae magnum tribuit pectus[74]). Neque vero solam adiectivo hoc „μέγας" divinam a Callimacho significari maiestatem, sed etiam ipsius corporis intellegendam esse magnitudinem, qua dii multo superent homines, ut alia mittam, ex hymni in Cererem v. 59. colligas. Ceres enim, cum sacerdotis suae Nicippae figura et specie induta Erysichthoni persuadere non posset, ut sacrae deae parceret arbori, infandam concepit iram, factàque dea ἴθματα μὲν χέρσω, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' Ὀλύμπω.

Alter locus iniuria a nonnullis impugnatus legitur v. 18., ubi, in ἀλλὰ particula postposita qui offendit, Reiskius: Λάδων γὰρ οὔπω scribendum esse coniecit. Quem secutus Volkmannus: ἀλλ' οὔπω Λάδων Callimacho restituendum putavit. At non esse, in quo quis offendat, ipse testatur Callimachus Epigram. V. 11. libris consentientibus scribens: Κλεινίου ἀλλὰ θυγατρὶ δίδου χάριν. Qua loquendi ratione non solum usum esse Callimachum, et ex iis, qui in Anthol. Pal. inveniuntur, apparet locis[75]) et ii, quos Naekius laudat[76]), testes sunt linguae Graecae auctores. Particula denique ἤ (v. 22.) in media posita oratione, pro qua Valckenarius teste Meinekio reponi voluit δή, non solum altero Callimachi firmatur loco, hym. in Lav. Pall. 121, ubi: μάντιν ἐπεὶ θησῶ νιν — ἦ μέγα τῶν ἄλλων δήτι περισσότερον legitur, sed etiam ipsius Homeri loquendi usu, a quo particulam ἤ ab initio in mediam orationem retractam videmus in Odyss. III. 347:

ὡς ὑμεῖς παρ' ἐμεῖο θοὴν ἐπὶ νῆα κίοιτε
ὥς τέ τευ ἢ παρὰ πάμπαν ἀνείμονος ἠδὲ πενιχροῦ et XIX. 109:
ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος ὅς τε θεουδής[77]).

Saepius illud ἦ invenitur post vocativum vel exclamationem positum. Cuius rei exempla, quae multa Bekkerus composuit[78]), inveniuntur in Hom. Il. IX. 252:

ὦ πέπον, ἦ μέν σοί γε πατὴρ ἐπετέλλετο . . .

XXIV. 748: Ἕκτορ, ἐμῷ θυμῷ πάντων πολὺ φίλτατε παίδων,
ἦ μέν μοι ζωός περ ἐὼν φίλος ἦσθα θεοῖσιν,

Theocrit. V. 79: ὦ Παιάν, ἦ στωμύλος ἦσθα

Aristoph. Vesp. 209: νὴ Δί' ἦ μοι . . . .

Priusquam iam ad graviorem de Iaone et Carnione fluminibus accedamus quaestionem, non silentio praetermittendum videtur, quod Meinekius in diatrib. ad hym. in Delum p. 202. haud inepta suspicatur coniectura v. 18. pro: Λάδων ἀλλ' οὔπω μέγας ἔρρεεν librorum auctoritate neglecta scribendum esse: Λάδων ἀλλ' οὔπω μέλας ἔρρεεν, ita ut fluvius hic pellucidae Erymanthi aquae (Ἐρύμανθος λευκότατος ποταμῶν) opponatur. Quod quamvis sit probandum,

---

74) Στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης. cf. etiam Lav. Pall. 5.

75) cf Anthol. Pal ed. Jacobs:
V. Ἐρωτικά 9,7: αὔριον ἀλλὰ πάτρη με δεδέξεται.
VI. Ἀναθηματικά 158,3: δαίμονες ἀλλὰ δέχοισθε . . . .
198,5: τοίην ἀλλ ἐπίνευε
IX. Ἐπιδεικτ. 93,3: ἵλαος ἀλλὰ δέχοιτο, καὶ . . . .
335: Ἑρμῆς ἀλλ' ἴδε τὸν κρήγυον ὑλοφόρον.

76) cf. Naek. C. Hecale p. 180.

77) cf. etiam Aristoph. Vesp. 1454: ἕτερα δὲ νῦν ἀντιμαθὼν ἦ μέγα πείσεταί τι. Bion. Idyll. VII. 14: λαθόμεθ' ἦ ἄρα πάντες ὅτι θνατοὶ γενόμεσθα, ubi dubitarim Hermanno assentiri: ἦ λαθόμεσθ' ἄρα πάντες scribenti Si quid hoc loco mutandum cum, Meinekio: λαθόμεθ' ἦ μάλα πάντες scriberem. Plura requirentes excempla ad Schneid. revoco Excurs. in hym. in. Lav. Pall. p. 353. sq.

tamen invitis libris recipere dubitem. Loquendi quidem ratio, qua ultima μέλας vocis syllaba nisi a Doriensibus non corripitur, mihi non est causae, cur in Meinekiana non acquiescam lectione. In tanta enim, quanta apud Callimachum nobis occurrit, formarum non Ionicarum multidudine non nimiae, ut recte animadvertit Meinekius, accusandus videtur audaciae, qui etiam hoc loco Callimacho restitui velit μέλας[79]). Quominus tamen a librorum omnium recedamus lectione, Dionys. Per. 416. prohibemur verbis: ἔνθα Μέλας, ὅθι Κρᾶθις, ἵνα ῥέει ὑγρὸς Ἰάων, ἠχὶ καὶ ὠγύγιος μηκύνεται ὕδασι Λάδων. Apparet Dionysium, qui saepissime Callimachum imitatur, Ladonem ea de causa dixisse μηκύνεσθαι, quod apud Callimachum legit: μέγας Λάδων. Suo iure tamen Ladon dici poterat μέγας a poeta, ambitum eius cum ceteris Arcadiae fluviis conferente[80]).

Inter Arcadiae flumina, quorum aquam tempore, quo Rhea Iovem peperit, poeta tradit sub solo latuisse, nominatur etiam Iaon, qui vero plane delituit. Memoriam eius ex Callimacho solus derivavit Dionys. Per. eo, quem supra vidimus, loco. Unde factum est, ut cum in Arcadia non inveniretur, alii in alia Peloponnesi ipsum quaerendum esse statuerent parte. Ac Sylburgius quidem teste Bernhardio Iaonem hunc pro eodem habendum esse pronuntiavit, qui a Pausania VI. 21. nominatur Diagon. Quae coniectura iam Bernhardio parum videbatur esse verisimilis. Ern. Curtius Pelop. I. p. 489. eum non diversum esse existimat a Selinunte, qui Achaiae est fluvius. Ad Macedoniae fluvium a Strabone VII. p. 327. commemoratum nomen id Iaonis pertinuisse Bernhardius qui docet: ‚Sed plures', inquit, ‚in Arcadia (pariter atque in Argolide) rivulos exstitisse aliquam multis (ut iis, quae habentur in ipso Pausania VIII. 7, 1. 20. 22, 3. 23, 2. 54, 2.) conficitur indiciis, quos exiguum cursum emensos terrae hiatus tum absorberent tum longo post intervallo mutatis nominibus iisque sensim evanidis foras emitterent; qualis fluminum natura cum aliis multis in regionibus olim sit observata, ... tum recentior aetas indagavit. (cf. Ritter Geogr. I. p. 515. II. p. 103.) . . . . Haec igitur aquarum divortia, cur iter Arcadicorum fluviorum nequeat subtilius exquiri, causam habeo legitimam; ex quo fit, ut in plerisque istius generis quaestionibus res ad incertum irritasque hariolationes recidat.' Quod quamvis in universum sit verum, tamen non irritam dixerim hariolationem, quod Meinekius Iaonem fluvium cum Nymphis Ionidibus cohaerere suspicatus in Elidem transferendum eum esse coniecit, [81]) ubi etiam Ἰωναῖον τέμενος a Strabone VIII. p. 346. memoratur. Ionidum Nympharum memoria servatur apud Athen. XIV. p. 683, ubi hi Nicand. georgic. leguntur versus:

ἀλλὰ τὰ μὲν σπείροις τε καὶ ὅσσ' ὡραῖα φυτεύοις
ἄνθε' Ἰαονίηθε· γένη γε μὲν ἴάσι δισσά,
ὠχρόν τε χρυσῷ τε φυὴν εἰς ὦπα προσειδές,

78) cf. Bekker. in: Monatsberichte der Königl. Preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin 1861, p. 457.

79) cf. v. 23: ὠκχησιν formam, quam ne Schneiderus quidem, cum libris sit munita optimis, Callimacho abiudicandam censet. Cum enim aliis locis Callimachum nisi metri necessitate coactum contendat ab epicorum loquendi ratione non recedere (cf. Schneid. ad v. 4.) hoc tamen loco: ‚Equidem', inquit, ‚in Callimacho contra optimos libros nihil mutandum ac ne ὀκχησιν quidem e cod. G. scribendum putavi, sed notandum locum censui, ex quo appareat, quousque in captandis vocabulis a vulgari usu remotis Callimachus progressus sit.'

80) cf. Bernhard. ad Dionys. Per. 416.

81) Quod ita tamen puto faciendum, ut fontes ipsi fluvii in Arcadia ponantur; aliter enim a Callimacho in Arcadiae fluminibus numerari non poterat, in quibus etiam Crathim (v. 26.) posuit, qui cum Achaiam perfluens in Corinthiacum effundatur sinum, originem tamen habet in Crathi monte, in Arcadia sito.

ἄσσα τ' Ἰωνιάδες Νύμφαι στέφος ἀγνὸν Ἴωνι
Πισαίοις ποθέσασαι ἐνὶ κλήροισιν ὄρεξαν
ἤνυσε γὰρ χλούνηνδε μετεσσύμενος σκυλάκεσσιν
Ἀλφειῷ, καὶ λύθρον ἑῶν ἐπλύνατο γυίων
ἑσπέριος Νύμφῃσιν Ἰαονίδεσσι νυχεύσων [82]).

Quin igitur recte Meinekius Ionidas has Nymphas ad nostrum advocaverit locum, vix puto esse dubitandum. Quod tamen Iaonem non diversum conicit esse a Cythero fluvio, minus videtur probandum. An eos malis accusare neglegentiae, qui Cytheri mentione facta alterius, quod fluvio huic fuerit, Iaonis nominis prorsus non meminerint? Haud putem; equidem cum Bernhardio Iaonem in iis Arcadiae numerandum censuerim rivulis, qui tempore exaruerunt, quorumque memoria apud posteros prorsus evanuit. At fortasse temere conicere non videatur, qui Ionem illum, qui a Nicandro (l. l.) una cum nymphis traditur pernoctasse, amnem intellegens, eundem esse statuat, qui a Callimacho vocatur Iaon Quod si verum est, facile ex ea re, quod poeta Alphei aqua dicit Ionem lavasse membra sua, colligas, mutatione verborum nihil aliud significatum esse, nisi in Alpheum effundi Ionem. [83]) Nihil tamen ausim hariolari.

Altera de Carnione fluvio est quaestio, qui in libris omnibus et a scholiasta appellatur *Καρίων*. Carion tamen fluvius cum in Arcadia non inveniatur, Arnaldus observv. p. 59. e Pausania corrigendum putavit: *Καρνίων*, qui a Pausania effundi traditur in Alpheum VIII. 34: *Γαθεάτας ποταμὸς ἐκδίδωσιν ἐς τὸν Ἀλφειόν. ἐς δὲ τὸν Γαθεάταν πρότερον ἔτι κάτεισιν ὁ Καρνίων.'* At ne haec quidem nominis forma satis certa, cum etiam in Pausania libri quam maxime varient, duoque codices Meinekio teste *Καρίων* exhibeant. Accedit, quod in *Καρνίων* nominativi forma si statuis fuisse *ι* litteram longam, genetivus formari non poterat *Καρνιωνος*, servata longa *ι* littera, sed aut *Καρνίονος* aut *Καρνίωνος*. Quae vocum, in *ιων* quae exeunt, flectendarum lex constanter etiam ab Homero observatur, qui, si in *ιων* nominativo *ι* est breve, verbum ita casibus immutet, ut *ιωνος*, *ιωνι* cet scribat. Ab *Ἠετίων* igitur nominativo (Il. VI. 396; XXI. 43.) genetivum format *Ἠετίωνος* (Il. I. 366; VI. 395; VIII. 187; IX. 188; XVI. 153; XXII. 472; 480; XXIII. 827;). Eodem modo *Δευκαλίων* legitur Il. XIII. 452; *Δευκαλίωνα* Il. XIII. 451; XX. 477. Neque aliter res sese habet cum *Βουκολίων* (cf. Il. VI. 23; 22;), *Ἐρευθαλίων* (Il. VII. 136; IV. 319;) nominibus. [84]) Quorum tamen nominum *ι* in nominativo est longum, in reliquis formis non servatur nisi *ω* in *ο* mutato, ut *Ἀμφίων* (Il. XIII. 692;), *Ἀμφίονος* (Od. XI. 283;), *Ἀμφίονα* (Od. XI. 262.), *Δολοπίων*, (apud Homerun non legitur nominativus) *Δολοπίονος* (Il. V. 77;), *Μολίων*, (deest apud Hom. nomin.) *Μολίονα* (Il. XI. 322;), *Μολίονε* (Il. XI. 750;), *Νομίων* (non habet Homerus), *Νομίονος* (Il. II. 871;), *Κρονίων* (Il. IV. 249; XIII. 319; 783; XV. 254; XVI. 662; XVII. 269; 441; XIX. 340;

82) cf. etiam Paus VI. 22, 7: *Ὀνόματα μὲν ἑκάστῃ τῶν νυμφῶν Καλλιφάεια καὶ Συνάλλαξις* (*Συνάλθαξις* Lobeck. Path. p. 510.) *καὶ Πηγαία τε καὶ Ἴασις, ἐν κοινῷ δέ σφισιν ἐπίκλησις Ἰωνίδες. λουομένοις δὲ ἐν τῇ πηγῇ καμάτων τέ ἐστι καὶ ἀλγημάτων παντοίων ἰάματα. καλεῖσθαι δὲ τὰς νύμφας ἀπὸ Ἴωνος λέγουσι Γαργήττου μετοικήσαντος ἐνταῦθα ἐξ Ἀθηνῶν.* (Meinek. philol. exerc. II. p. 40.)

83) cf. tamen Schneid Nicandr. p 95, qui Nicandri verba, quae corruptissima traduntur, prorsus aliter vult intellegi.

84) cf. etiam *Γοργυθίωνα* Il. VIII. 302; *Εὐρυτίωνα* Od. XXI. 295; *Ἱπποτίωνος* Il. XIII. 792; *Ἱπποτίωνα* XIV. 514; *Ἰφιτίωνα* XX. 382; *Ἰασίωνι* Od. V. 125; quorum nominativus apud Homerum non legitur. Adde *Ἀκτορίωνε* Il. II. 621; XI. 750, XXIII. 638; *Ἀκτορίωνος* Il XIII 185; *Ἀνθεμίωνος* IV. 473.

Od XII. 399; 405; XV. 477; XVI. 117; 291; XVII. 424; XIX. 80; XXI. 102; XXII. 51;), *Κρονίονος* (Il. XIV. 247; Od. XI. 620.), *Ὑπερίων* (Il. XIX. 398;). *Ὑπερίονος* (Il. VIII. 480; Od. I. 8; 24; XII. 263;), *Ὑπερίονι* (Od. XII. 133; 346; 374;). Servatur tamen *ω* littera *ι* correpto, ut: *Κρονίωνος* (Il. XXI. 184; 230;), *Κρονίωνι* (Il. I. 397; 405; VI. 267; XVIII. 118; XXI. 193; XXIV. 290;), *Κρονίωνα* (Il. I. 502; 539; II. 350; XI. 78; Od. XIV. 406;). In solo *Ὠρίων* nomine servata *ω* littera *ι* constanter producitur. [85]) Non assentiendum igitur Schneidero, Callimachum, ut ‚rarissimum nomen *Καρνίων* metro includeret, non ad vulgarem nominum in *ιων* exeuntium, sed ad nominis *Ὠρίων* normam, direxisse. Immo, cum dubitari nequeat, quin ab eodem, a quo *Καρνεῖος* et *τὰ Καρνεῖα*, nomine *Κάρνος* deducendum sit fluminis nostri nomen, cum Meinekio ex Suida Callimacho restituendum censeo: *Καρνείωνος*, quae forma a Suida servata iam Heckero legitima esse videbatur. [86]) Firmatur etiam *Καρνείων* forma fragmento lexici cuiusdam geographici Graeci, quod in Philol. XXV. p. 150. edidit Franciscus Lenormant. Legitur enim in fragmento illo, quod fluviorum nomina complectitur, hoc: *Κάρνειον, Ἀρκαδίας, ἀφ' οὗ πόλις ἐκλήθη*. Vix dubitandum puto, quin *Κάρνειον* illud depravatum sit ex nostro: *Καρνείων*.

Poeta Arcadiae flumina quae commemorat eo, quo Iuppiter natus esset, tempore nondum fuisse narrans, neque impeditum fuisse fluviis illis hominum commercium: *πολλὰ δέ*, inquit, *Καρνείωνος ἄνω διεροῦ περ ἐόντος ἰλυοὺς ἐβάλοντο κινώπετα*. Verba: *ἰλυοὺς ἐβάλοντο κινώπετα* latine non reddi eo, quod vulgo legitur: lustra ferae posuere sibi, vel: lustra ferae construxerunt, scholiastamque, qui ita locum nostrum vertant, secutos esse, *ἰλύους ἐβάλοντο* ita accipiendum docentem, ac si scriptum esset: *πολλὰ δ' ὑπὲρ τοῦ Καρνείωνος ἕρπετα τοὺς φωλεοὺς ἐποίησαν'* recte qui animadvertit, Valckenarius [87]): ‚Libenter', inquit, ‚formam loquendi, mihi quidem novam, uno alterove saltem exemplo simili legissem probatam: sed hic tacent omnes, Ez. etiam Spanhemius, ille antiquitatis omnis valde peritus . . . . Verbi *βάλλειν* . . . diversos significatus . . . veterum nemo accuratius tractavit, quam Eustathius in Hom. Od. A. a. p. 38 — ad finem fere p. 41. In his nihil Callimachei simile reperietur.' Non temere igitur Valckenarius in verbis: *ἰλυοὺς ἐβάλοντο* vitium inesse statuit. Negat quidem Schneiderus improbatque Meinekii sententiam, quem Valckenarius habet sibi assentientem. Quod tamen *θεμείλια βάλλεσθαι*, quod de fundamentis iaciendis dicitur, nihil distare contendit ab: *ἰλυοὺς βάλλεσθαι*, propriamque significationem iaciendi fundamenta paulatim in generalem aedificandi significationem excrevisse, fallitur. Quae enim veterum scriptorum attulit exempla [88]), prorsus alia sunt quam quibus ea, quam vult, probetur sententia. *Ἀστυβαλεῖν* quod legitur idem significat atque quod Germanice exprimitur: Den Grund zu einer Stadt legen. Propriam igitur etiam hic inesse videmus in *βάλλειν* verbo significationem iaciendi fundamenta. Neque vero *διαμετρεῖν πόλιν*, quod, ut recte monet Schneiderus ipse, proprie solam condendae urbis significat *διαγραφήν*, aptum esse ad probandam, quam vidimus, Schneideri sententiam, nemo est quin videat. Neque Valckenarium fugit, Graece

---

85) cf. Il. XVIII. 486; 488; XX 29; Od. V. 121; 274; XI. 310.

86) cf. Hecker. Commentationum Callimachearum capita duo p. 83.

87) cf. Valckenar. ad Theocr Adon. v. 9. p. 70.

88) Apollon. Rhod. II. 848: *ἀμφὶ δὲ τήν γε φάλαγγα παλαιγενέος κοτίνοιο ἄστυ βαλεῖν*; Hom. Od. XXIII. 192: *τῷ δ' ἐγὼ ἀμφιβαλὼν θάλαμον δέμον*; Apoll. Rhod. I. 1345: *ὃ μὲν Μυσοῖσι βαλέσθαι μέλλεν ἐπώνυμον ἄστυ πολισσάμενος ποταμοῖο*; Maximus *περὶ καταρχῶν* 514: *ἀλλὰ σύ μοι τημόσδε βάλοις περιμήκεα σηκὸν ἄρνασιν ἠδ' ἐρίφοισιν*.

dici quidem posse: *πόλιν βαλεῖν* i. e. fundamenta urbis condendae iacere, similia, attulitque huius rei exempla, ut: *πόλιν δὲ ὅπου βάλοιντο, ὑπεδίδου ἡ γῆ καὶ ὑπεχώρει κάτω* (Philostr. de V. A. Tyan. III. c. 20), Pindariumque illud: *κρηπῖδα βάλλεσθαι ἐλευθερίας, σοφῶν ἐπέων*. Attamen ‚an ad eam', inquit, ‚rationem scribi potuit a Callimacho de serpentibus in monte habentibus latibula, vel cubilia fodientibus, *ἰλυοὺς ἐβάλοντο κινώπετα*?' Neque equidem opinor locoque laboranti auxilium ferendum existimo [89]). Num tamen, quod Valckenarius ipse: *ἰλυοῖς ἴλλοντο κινώπετα* scribendum esse coniecit, sit verum, cum Meinekio dubitari posse puto. *Ἰλυοῖς* quidem facillime depravari potuisse in *ἰλυοὺς*, depravato praesertim iam antea verbo, ad quod pertinebat, vix est quod moneatur. Neque abhorret a Graecorum loquendi consuetudine *ἰλυοῖς* pro *ἐν ἰλυοῖς* scriptum, quae in prosa quidem oratione exiguis continebatur finibus, neque facile omittebatur *ἐν* praepositio. Saepissime tamen a poetis, praesertim ab Homero, quo loco quid factum sit, significante, solus poni solet dativus, ut *Θήβῃ, Ζεὺς αἰθέρι ναίων, μυχῷ δόμου* similia. Quam loquendi consuetudinem Callimacho ipsi alienam non fuisse ex iis, quae Valckenarius laudat, apparet exemplis [90]). Quod vero Valckenarius pro *ἐβάλοντο* scribendum esse coniecit: *ἴλλοντο*, ut legatur: *ἰλυοῖς εἵλοντο* vel *εἰλυοῖς ἴλλοντο*, id sane valde dubitandum, num poetae tribuere possimus, disceditque nimis ab ea, quae libris traditur, lectione. Neque quod Meinekius ipse *ἰλυοὺς ἐκάμοντο* vult legi satis probatur. Facillimo quidem errore illud *ἐκάμοντο* corrumpi potuit in *ἐβάλοντο*. Nescio tamen an minus apte hoc loco a poeta sit dictum: serpentes latibula sibi construxerunt, idque, quod in *κάμνειν* verbo inest, multo cum labore. Immo in illam Valckenarii sententiam poetam coniecerim serpentes in latibulis, saepissime iam natura ipsa ita conformatis, ut tutum darent receptum, delitescentes facere voluisse. Haud ineptam igitur dixerim coniecturam eius, qui, quod a poeta scriptum erat: *ἰλυοῖς ἐλάθοντο*, in depravatam illam librorum abiisse censeat lectionem: *ἰλυοὺς ἐβάλοντο*. Neque enim nimis a librorum recedit scriptura, et sententia ad locum nostrum redundat optima.

At de his quidem hactenus. Quaeritur, num, quam arenosam (glareosam, lapidosam) Callimachus dicit, Metopen Graece appellarit: *πολύστειον*. Iam in codices si inquirimus, omnes fere, qui exstant, *πολύστειον* exhibere videmus, exceptis duobus Paris. Vind. qui E. et G. litteris a Schneidero notantur, quorum alter habet: *πολύστειβον* (in marg. *πολύστειον*) alter: *πολύστεινον*. Librorum igitur auctoritatem qui sequi volent, quin *πολύστειον* Callimacho sit tribuendum, non dubitabunt; neque Nicandri illis locis a Schneidero emendatis [91]) commoveantur, ut a tradita recedant lectione, quae etiam schol. Pindari Ol. VI. 146. confirmatur, ubi Callimachi verba laudantur haec: *πολύστειόν τε Μετώπην*. Sunt tamen aliae eaeque multo graviores causae, quibus, quominus codices sequamur, quam maxime prohibemur. Compositi enim, de quo agitur, verbi partem alteram si respicimus, non *στείαν* a veteribus [92]) appellatam *ψῆφον*, quae

89) Recte quidem Meinekius (l. l.): ‚nescimus vero,' inquit, ‚quantum in talibus sibi permiserit Callimachus, cuius oratio nequaquam ad communem dicendi usum exigenda est' Num tamen Callimacho illud: *ἰλυοὺς ἐβάλοντο* sit tribuendum, et ipse dubitat.

90) cf. etiam Schneid. in hymn. IV. 180 excurs. p. 303. sq.

91) Nicandr. Theriac. 792: *πέτρας καὶ βρύα λεπτὰ πολυστίοιο θαλάσσης* (*πολυστείοιο Π* et var. lect. in schol.), 950: *ὁ δ' ἐν ποταμοῖσι πολυστίοισι νομάζων* (*πολυστείνοισι ν, πολυστείοισι* reliqui codd.) Alexiph. 466: *τὸν χῦμα πολυστίου τέκεν ἅλμης* (*πολυστίον Π, πολυστείου* reliqui. Schneid.). cf. etiam schol. ad hunc locum: *Ἤγουν τῆς πολυψήφου θαλάσσης· στεῖαι γὰρ αἱ ψῆφοι τῆς θαλάσσης.*

92) excepto uno, quem vidimus, loco schol. Nicandr. Alexiph. 466.

vulgo dicebatur, videmus, sed *στίαν,* eamque vocis huius scripturam gravissimorum scriptorum firmatam esse auctoritate. Ac primum quidem summo codicum omnium consensu in Apollon. Rhod. Argon. II. 1176. legitur: *στιάων.* Quod magis etiam firmatur scholiastae verbis, qui habet: ‚*στῖαι, αἱ ψῆφοι παρὰ Σικυωνίοις καλοῦνται — Καλλίμαχος· πολύστιον τε μέτωπον* (leg. *Μετώπην*), falsam codicum nostrorum esse lectionem aperte docens. Nec minoris deinde momenti est, quod apud Hesychium legitur: *στῖα . . . . δηλοῖ δὲ καὶ στενοχωρίαν καὶ λιθοκονίαν.* Tum Galeni [93]) haud neglegendum videtur testimonium, qui habet haec: *Στῖον ψηφὶς, λίθος. Στῖαι γὰρ αἱ παρὰ τῇ θαλάσσῃ ψηφίδες· καὶ στιῶδες ἐντεῦθεν, τὸ σκληρόν.* Theognostus denique *ι* litteram habere, de qua agitur, vocem, testatur Can. p. 103, 28: *σεσημείωται τὸ φλία, στία, Θρία διὰ τοῦ ι γραφόμενα.* Non dubitandum igitur videtur, quin, qui *πολύστειον* Callimacheum esse tradiderunt, ea re commoti hoc fecerint, quod *ι* in *στία* atque *πολύστιον* verbis longum esse ignorantes metri legem violatam putarent [94]).

Tantam in Arcadia, pergit Callimachus, fuisse aquae inopiam, ut Rhea, unde aquam sumeret, qua pueri recens nati corpus ablueret, nescia, terrae ipsius imploraret auxilium. Quo facto montem a dea elato percussum bracchio magnam aquae effudisse vim. Qua puerum ablutum fasciisque involutum Rheam Nedae tradidisse ferendum in Cretaeum antrum, ubi clam Saturno educaretur, Nedae,

πρεσβυτάτῃ νυμφέων αἵ μιν τότε μαιώσαντο,
πρωτίστῃ γενεῇ μετά τε Στύγα τε Φιλύρην τε V. 35. sq.

Priusquam ad explicanda haec poetae verba accedamus, nonnulla, quae in antecedentibus nobis occurrunt, silentio non sunt praetermittenda. Ac primum quidem, quod libris traditur V. 28. *ὑπ' ἀμηχανίης σχομένη* Meinekius emendandum Callimachoque e Vindob. codice a Schneidero G littera notato, restituendum esse putat: *ὑπ' ἀμηχανίῃ σχομένη.* Eodem modo hym. in Delum 210. Meinekio Callimachi usus requirere videtur dativum (pro ea, quae libris traditur: *ἀμηχανίης ὑπὸ λυγρῆς* lectione *ἀμηχανίῃς ὑπὸ λυγρῆς τειρομένη* scribenti). ‚Sic enim constanter', inquit, ‚ille in hoc dicendi genere praepositione *ὑπὸ* utitur, ut h. in Apoll. 49, in Dian. 21, 191, in Delum 202, 321 . . . consulto transmisi aliorum poetarum exempla, quae sunt frequentissima, illud tantum demonstraturus, nunquam aliter locutum esse Callimachum.' Mirum tamen ab eodem Meinekio laudari Pohlium [95]), quippe qui recte Blomfieldum (h. in Del. 25.) pro vulgato: *ὑπὸ ῥιπῆς* scribentem: *ὑπὸ ῥιπῇς* refutarit. Iisdem enim, quibus Meinekius nostro loco, Blomfieldus nixus exemplis a libris recedendum esse putavit. Videmus igitur, non constare sibi Meinekium, qui Callimachum in hoc dicendi genere *ὑπὸ* cum dativo iungere solere docens, et hoc loco, quod Blomfieldus proposuit: *ὑπὸ ῥιπῇς,* reiecit et h. in Del. 158. scribendum esse censuit: *ὑπ' ὁμοκλῆς.* Assentiendum igitur Schneidero, qui recte non tantum Meinekii observationi tribuendum esse censet, ut mutetur quidpiam contra libros. *Σχέσθαι* deinde verbi formam videtur animadvertendum non usum esse Homerum ea, qua nostro loco significatione. Apud recentiores demum epicos saepius nobis occurrit passive, ut ita dicam, usurpatum, ut in Apoll. Rhod. Argon. III. 810: *ἔσχετο δ' ἀμφασίῃ δηρὸν χρόνον* (tenebatur autem stupore longum tempus), IV. 920: *οἱ δ' ἄχεϊ σχόμενοι* (illi autem dolore correpti) et frgm. anon. 235. (Schneid): *σχόμενος περὶ δουρὶ,* quod Hesychius IV. p. 120. explicat: *κατασχεθεὶς καὶ συλληφθεὶς ὑπὸ τοῦ δόρατος.* Quod denique in

93) cf. Galeni explanatio vocum Hippocratis p. 566. (ed Steph.)
94) cf. Passov. s. v.
95) cf. G. Pohl. collat. cod. Par. p. 14.

codicibus v. 30. legitur: *ἀντανύσασα μέγαν ὑψόθι πῆχον*, Blomfieldus minus recte dici putans, pro *ὑψόθι* Callimacho substituit: *ὑψόσε*. Non repugnare tamen poetarum Alexandrinorum loquendi consuetudini illud *ὑψόθε*, pro *ὑψόσε* scriptum, qui non ubique talia accurate distinguant, cum Meinekius ostendit tum Schneiderus tam multis horum poetarum comprobavit exemplis, ut plura de hac re proferre opus non sit. Neque aliter res sese habet cum Blomfieldi illo: *κευθμῶν' ἐς*, quod Ernestium secutus pro librorum: *κευθμὸν ἔσω* Callimacho restituendum censuit. *Κευθμός* quidem forma offendi non debebat, Callimacho si cui alio rariores vindicandas esse formas [96]) haud ignorans. Quod vero pro *ἔσω* scripsit *ἐς* prorsus epicorum, ut recte animadvertit Meinekius, neglexit loquendi usum [97]). At haec minora. Maioris momenti sunt, quae statim sequuntur verba (v. 35. sq.), et quibus haud scio an nimis viri docti vexati sint eam, quam invenisse sibi visi sunt, tollere studentes tautologiam. Recte quidem Meinekius anaphorae, quae vocatur, figuram in iis, quae traduntur, verbis: *πρεσβυτάτη νυμφέων* et *πρωτίστη γενεῇ* statui non posse, animadvertit, cuius lex sit ea, ut *πρεσβυτάτη* adiectivo aliud substitui non possit. Quod tamen, quae ei in verbis illis videtur inesse, tautologiam eo amovendam censet, quod *πρωτίστη* ex glossemate natum esse ratus, locum ita refingit, ut:

πρεσβυτάτη νυμφέων, αἵ μιν τότε μαιώσαντο,
πρεσβυτάτη γενεὴν μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε

scribat, vel quod alterutrum horum versuum a docto interpolatore esse adiectum [98]), vel, qui initio unus fuisset versus:

πρεσβυτάτη νυμφέων μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε

in duos dilatatum esse conicit, non probatur. Neque eorum probanda sententia, qui, frigidam loco nostro, quam putant inesse, tautologiam ut tollant, *πρεσβυτάτη* hic idem esse statuunt atque: maxime venerandae, carissimae [99]). Recte enim Meinekius superlativum *πρεσβύτατος*, ubicunque de personis dictus reperiatur, non ad honorem, sed ad aetatem referendum esse docet. Quae Meinekii sententia non improbatur eo, qui apud Homerum nobis occurrit, loco Il. IV. 59:

καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,
ἀμφότερον, γενεῇ τε καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις, κέκλημαι·

ubi sane ipsius sermonis contextu cogimur interpretari *πρεσβυτάτην* venerandam. Ubi vero orationis contextus interpretationem hanc non postulat, ibi iure Schneiderus docet perstandum in primitiva vocis huius significatione, quae est: maximus natu. Aliam Schneiderus neque Meinekium neque Ernestium secutus ingressus est viam, ut Callimachi verba ea, quam vidimus, liberaret tautologia. Quod ut faceret, etiam alia, ut ipse dicit, permotus est causa. ‚Cur enim', in-

---

96) cf. tamen Hom. Il. XIII. 27: *ἄταλλε δὲ κήτε' ὑπ' αὐτοῦ πάντοθεν ἐκ κευθμῶν*, Apoll. Rhod. Argon. 1212: *κευθμῶν ἐξ ὑπάτων*

97) cf. praeter eos, quos Meinekius laudat locos, Hom. Il. XVII. 159:
αἶψά κε Πάτροκλον ἐρυσαίμεθα Ἴλιον εἴσω;
XXI. 125: *οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον;*
XXIV. 155: *αὐτὰρ ἐπὴν ἀγάγῃσιν ἔσω κλισίην Ἀχιλῆος,*
199: *κεῖσ' ἰέναι ἐπὶ νῆας ἔσω στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.*

98) cf. Hecker. commentat. Callim. p. 127: ‚sed videtur hic versus non emendationibus sed una litura sanandus; prodit enim nasutulam eruditionem lectoris, qui Callimachum corrigere voluit, et frigidissimam tautologiam infert repetitione vocis *πρεσβυτάτῃ* et *πρωτίστῃ γενεῇ* cet.'

99) cf. Ernest. ad h. in Iov. 35. p. 16. et Scheer.: *Καλλ. Ὁμηρικός.* Progr. Rendsburg. 1866.

quit, ‚Nedam poeta duobus eiusdem significationis ornaret epithetis, reliquas nymphas, quae et ipsae Rheam partu levaverant, ornaret nullo? Haec faciunt, ut *πρωτίστη γενεῄ* Callimachum scripsisse idque ad *αἱ* referendum esse putem.' Sed ut omittam, vix, quomodo vult Schneiderus, quemquam locutum esse scriptorum Graecorum, ne poterat quidem Callimachus, siquidem sibi constare voluit, tali ornare reliquas nymphas epitheto, quo, eas secundum Stygem Philyramque omnium maximas fuisse natu, significaret. Styx enim, cum omnes, quas Oceanus ex Tethye procreavit, nymphas ipsamque igitur Nedam aetate superaret [100]), Callimachus, si *πρωτίστη γενεῄ μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε* scripsisset idque ad nymphas Rheae parienti opem ferentes referri voluisset, tantum abest, ut eas minores Neda, ut vel maiores natu ipsa Neda fuisse ostenderet. Quod quam maxime antecedentibus repugnaret verbis, ubi Nedam earum nympharum fuisse docet maximam natu. Fuisse tamen Callimacho in animo imprimis Nedam laudibus extollere, iam ex eo apparet, quod reliquarum nympharum mentione iam non facta in iis, quae sequuntur, de sola loquitur Neda, cuius beneficiorum Rhea memor vel fontem illum e monte ipsius bracchio percusso prorumpentem nymphae appellasset nomine. Neque tamen opus fuit, quas viri docti protulerunt, coniecturis. Nam equidem eam, de qua agitur, non video in Callimacho tautologiam, nec videbit, qui *γενεὴν* vocem non ad aetatem nymphae referet sed, quae in Hom. Il. XI. 786:

τέκνον ἐμὸν, γενεῇ μὲν ὑπέρτερός ἐστι Ἀχιλλεύς,
πρεσβύτερος δὲ σύ ἐσσι

inest, ei subiciet significationem, ita ut aptissima evadat sententia: non solum aetate Nedam superasse nymphas Rheam partu levantes verum etiam cum has tum omnes reliquas, exceptis Styge et Philyra, generis nobilitate. Quod nescio an etiam Scheerio visum sit, qui Callimachum ita correxit: *πρωτίστη τε γενήν*. Cur tamen a librorum recesserit scriptura eam, quam supra vidimus, loco nostro subiciens sententiam, haud intellego [101]). Si quid mutandum, cum Meinekio e cod. Vind. (apud Schneiderum G.) pro *γενεῇ* scribendum *γενεήν* [102]). At iam ad reliqua versus animum advertamus verba, quae in libris Schneideri A et B sunt: *μετά γε Στύγα τε Φιλύρην τε*, in E, G, H: *μετά τε Στύγα τε Φιλύρην τε*, in reliquis: *μετά τε Στύγα Φιλύρην τε*. Praeferendum esse *γέ* illud, quod A et B habent, *τέ* particulae, quam reliqui praebent, nemo est, quin videat. Quod tamen Schneiderus cum Heckero in producta voce *τέ*, quae est ante *Φιλύρην*, offendit, nulla erat causa. Nam quod *τέ* produci negat nisi sequentibus liquidis, vel *κ* vel *σ*, fallitur. Saepius enim apud ipsum Homerum in brevem quae exit vocalem syllabam, in thesi positam, produci [103]) ex iis, quae Hoffmannus quaest. Homer. I. p. 161. sq. composuit, apparet exemplis, ut

Il. I. 74: *ὦ Ἀχιλεῦ, κέλεαί με, Διὶ φίλε, μυθήσασθαι*
45: *τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.*

Sed etiamsi metro hiulco opem ferendam esse statuas, vix locum sanari concedas Schneideri coniectura: *μετά τε Στυγίην Φιλύρην τε, Στυγίην* intellegendam docentis *νύμφην*. Probabilius ex altera

---

100) cf. Hesiod. Theog. 775. sq. *Ενθα δὲ ναιετάει στυγερὴ θεὸς ἀθανάτοισι | δεινὴ Στὺξ, θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο | πρεσβυτάτη . . .*

101) Particulam enim illam coniunctivam, quam vult Scheerius, mihi quidem sententia flagitare haud videtur. cf. Scheer. l l.

102) cf. Meinek. l. l. p. 127: recte quidem dicitur *πρωτίστη γενεῇ*, pariter ut in secundo quartoque casu *πρωτίστης γενεῇ* et *πρωτίστην γενεῇ*; at dativo ubi opus erat, non credo quemquam *πρωτίστῃ γενεῇ* dicturum fuisse.

103) cf. Griechische Metrik von Rossbach & Westphal II². p. 90.

Φιλύρη nominis forma, quae videtur fuisse *Φιλυρέα* [104]) conicias Callimachum scripsisse: *μετά γε Στύγα Φιλυρέην τε,* bonos quosdam codices secutus, in quibus deest illud *τε* ante *Φιλύρην*. Suo iure tamen Callimachum *Φι* syllabam, quae vulgo brevis est, metri necessitate coactum produxisse, ex *Φιλυρίδης* colligas nomine, cuius prima syllaba apud poetas est longa [105]).

Non vanam dicit poeta v. 37. sqq. Rheam Nedae obstetricis munere fungenti rettulisse gratiam, cum flumen illud a se procreatum nymphae appellasset nomine eaque re memoriam eius posteritati tradidisset. In mare vero fluvium illum effundi dicit ad ipsum Cauconum oppidum, cui Lepreon fuit nomen. Quinam intellegendi sint illi Caucones, satis ipse Callimachus indicat Lepreon eorum fuisse dicens urbem, quae ad fines Laconiae (id est Messeniae ad Laconiam pertinentis) et Elidis, Triphylia quae vocatur, sita fuisse traditur a Thucyd. V. 34. Iidem vero sunt Caucones, qui ab Homero (Od. III. 366.) commemorantur, et quorum altera pars Asiae minoris incolebat partem. [106]) Scholiastae nominati videntur esse Caucones a Caucone monte, nam ‚ὄρος', inquit, ‚Ἀρκάδων ὁ Καύκων.' Cuius nominis montem Arcadiae praeter scholiastam nemo commemorat. [107]) Strabo a fluvio vel rege Cauconum terram appellatam esse tradit VIII. p. 345: ‚Ἐκλήθη δὲ (sc. *Καυκωνεία* vel *Καυκωνία*) *ἀπὸ βασιλέως Καύκωνος ἢ ποταμοῦ.*' Quae tamen Cauconum urbs Lepreon in Callimachi libris scripta traditur: *Λέπριον*, dubitari nequit, quin *Λέπρειον* sit scribenda. Altera quidem nominis forma *Λέπρεον* fuit. [108]) Quod vero in libris *Λέπριον* invenitur, eius rei causa eadem est, qua saepius constat *ει* syllabam simplici *ι* scribi esse solitam. Iure igitur Meinekius [109]) etiam Straboni ubique *Λέπρειον* restituendum censuit. Antiquorum vero auctorum Tzetzes (Chil. V. 682.) cum *ει* diphthongo scriptum antiquitus fuisse nomen affirmat. Idem tradit schol. Aristoph. Av. 149: ‚*τί οὐ τὸν Ἠλεῖον Λέπρεον: καθ' ὑφαίρεσιν τοῦ ι τὸ Λέπρειον εἶπεν.*' Duplex autem haec nominis scriptura Plinio causae videtur fuisse, ut Leprion et Lepreon diversas fuisse urbes statueret, alteram in Elide alteram in Arcadia sitam. [110])

Pro librorum *ποθί* Brunckius coniecit *μάλα*, Reiskius *τόθι*, utrumque, ut recte animadvertit Meinekius, temere. Mirum tamen, etiam Schneiderum *τόθι* in textum recepisse Nam quod nomini *αὐτός* pronomine addito situm certissime definiri, rursus *πόθι* particula incertum fieri situm contendit, ut utrumque sibi repugnet, fallitur. *Παραπληρωματικόν* enim, quod dicunt, est illud *πόθι* [111]), locique sententiam optime Meinekius reddit his: *κατ' αὐτό που Λέπρειον συμφέρεται*

---

104) cf. Theophr. h. pl. 1, 9, 3; Diosc. 1, 110; Steph. thes. ling. Graec. s. v.

105) cf. Hesiod. theog. 1002; Apoll. Rhod. I. 554; Orph. Argon. 450. (Hermann. 454.).

106) cf. Hom Il X. 428. sq.

107) cf. Meinek. l. l.

108) cf. Thucyd. V. 31, 34, 49, 50.

109) cf. Meinek. Vindiciae Strabonianae p. 104; cf. etiam: Wassius ad Thucyd. V. 31.

110) cf. Plin. N. H. IV. 5. sq. et Poppo in Thucyd. comment. polit. geograph. chronologic. II. p 178.

111) cf. Hom. Il. XIX. 273:

οὐκ ἂν δή ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἐμοῖσιν
Ἀτρείδης ὤρινε διαμπερές, οὐδέ κε κούρην
ἦγεν ἐμεῦ ἀέκοντος ἀμήχανος· ἀλλά ποθι Ζεύς
ἤθελ' Ἀχαιοῖσιν θάνατον πολέεσσι γενέσθαι,

ubi adiecto illo *ποθί* nullo modo Achilles, cuius haec sunt verba, indicat, incertum se esse, Iovem auctorem esse Achivorum caedis; immo persuasum ipsi esse, Iovis omnia fieri numine, ex toto sententiae apparet ordine.

τῇ θαλάσσῃ. Nulla igitur erat causa, cur Schneiderus, qui aliis in rebus diligenter libros sequitur, hoc loco ab iis recederet. Quod autem Ruhnkenius [112]) poetae pro κατ' αὐτό restituendum censuit κατ' αἰπύ, quamvis sit ingeniosum, tamen, ut recte docet Ernestius, non est necessarium. [113])

Νηρεύς qui ante Callimachum de mari dixerit, Schneiderus docet esse neminem. Apud Alexandrinos autem, et qui post eos fuerunt, poetas saepius nobis occurrunt similes immutationes, ut Anonym. hym. in Isim *Τηθύν*, *Ἀμφιτρίτην*, *Δωρίδα* appellative dixit. [114]) Tethys de mari dicitur etiam Argonaut. Orph. v. 337, 1109. et hymn. orph. XXII. 1. [115]) Quibus locis Hermannus l. l. p. 814. quattuor Quinti Smyrnaei addidit locos: II. 116; V. 14, 398; XI. 418. [116]). Frequentissimae hae immutationes apud poetas Latinos, qui ut saepius ita etiam hac in re Alexandrinos sunt imitati pro fruges Cererem, Bacchum pro vino, lauream pro victoria, togam pro pace, Coam pro vestibus Cois, rubrum mare pro gemmis, Tagum pro auro, similia scribentes [117]). Eodem modo Propertium II. 21, 53. Eoa dixisse Orientem, Ungerus (l. l.) demonstravit. Eodem referendum, quod Vergilius pro Ucalegontis flagrante domo ipsum posuit Ucalegontem flagrantem Aen. II. 310. sq.

Lycaonia quae fuerit ursa et qui eius nepotes, quos Callim. v. 40. dicit Nedae potasse aquam, scholiasta docet, qui habet haec: ‚*Τῆς πρώην λεγομένης Καλλιστοῦς, Λυκάονος δὲ θυγατρός. ἐξ ἧς καὶ Διὸς μεταβληθέντος εἰς Ἄρτεμιν* [118]) *γεννᾶται ὁ Ἀρκάς, ἀφ' οὗ οἱ Ἀρκάδες.*‘ Quam interpretationem esse imperfectam, nemo est quin videat. Nihil enim nisi Callisto, Lycaonis filiam, comperimus intellegendam esse Lycaoniam ursam, a qua oriundi sint Arcades. Quinam vero factum sit, ut ursa Callisto dici potuerit a Callimacho, frustra quaerimus. Traditur hoc schol. Homer. Il. XVIII. 487: *Ζεὺς Καλλιστοῦς τῆς Λυκάονος ἐρασθεὶς ἐμίσγετο αὐτῇ*

Quae eadem ratio est Il. XXIV. 208. sq.:

νῦν δὲ κλαίωμεν ἄνευθεν
ἥμενοι ἐν μεγάρῳ. τῷ δ' ὥς ποθι μοῖρα κραταιὴ
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον αὐτή,
ἀργίποδας κύνας ἆσαι, ... Simili modo Od. I. 346:
μῆτερ ἐμή, τί τ' ἄρα φθονέεις ἐρίηρον ἀοιδὸν
τέρπειν ὅππῃ οἱ νόος ὄρνυται; οὔ νύ τ' ἀοιδοὶ
αἴτιοι, ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος, ὅς τε δίδωσιν.

112) cf. Ruhnken epist. crit. II. p. 10.

113) cf. Callimach. h. in Dian. 253 sq.:

οἵ ῥα παρ' αὐτόν
κεκλιμένοι ναίουσι βοὸς πόρον Ἰναχιώνης

et eos, quos Ernestius et Blomfieldus attulerunt locos, ex quibus apparet, solere poetas in exprimenda, ut Ernestii verbis utar, vicinitate *αὐτός* pronomen libenter usurpare.

114) cf. Sauppe: hymn. in Isim p. 11.

115) cf. Hermann. Orphic. p. 74.

116) cf etiam Callim. h. in Delum 17. et Ezechielis Spanhemii observationes in h. h. p. 387.

117) cf. Robert. Unger. Analecta Philetaea et Propertiana p. 14.

118) Pro *Ἄρτεμιν*, quod est in libris, excepto solo E codice (Schneid.), ubi *ἄρκτον* legitur, Meinekius *ἄρκτον* restituit. Quod vero iis, quae vulgo de Iove eiusque in Callisto amorem fabulantur scriptores, quam maxime repugnant. Omnes enim, qui de hac re scripserunt, in eo consentiunt, Dianae Iovem assumpsisse figuram, in ursam autem conversam esse Callisto. cf. Heynii observationes ad Apollodor. biblioth. III. 8, 2.

λανθάνων Ἥραν. ἐπιγνοῦσα δὲ ἡ θεὸς μετέβαλεν αὐτὴν εἰς ἄρκτον καὶ ὡς θηρίον Ἀρτέμιδι προσέταξε τοξεῦσαι. Ζεὺς δὲ εἰς οὐρανον αὐτὴν ἀναγαγὼν πρώτην κατηστέρισεν.' Ab his, qui rem paulo copiosius tractavit, recedit Apollodorus. [119]) Callisto, Dianae venantis comitem, tradit iurasse, servaturam se esse integritatem pudicitiamque. Iovem vero in Dianam, alterius autem fabulae memoria in Apollinem mutatum virgini, quamvis invitae, concubuisse, quam, ut Iunonem falleret, in ursae redegisset formam. Iunonem re cognita persuasisse Dianae, ut bestiam sagittis confoderet. Esse, a quibus Diana confodisse dicatur Callisto, quod pudicitiam amisisset. Callisto interfecta Iovem pullum Maiae tradidisse alendum, Callisto in stellarum numerum rettulisse. Quibus fabulis Schneiderus ut scholiastae Callim. accomodet verba, ita scholium restituendum esse suspicatur: *Τῆς πρώην λεγομένης Καλλιστοῦς, Λυκάονος δὲ θυγατρός. ἐξ ἧς καὶ Διός, καὶ τοῦ μὲν Διὸς μεταβληθέντος εἰς Ἄρτεμιν, τῆς δὲ εἰς ἄρκτον, γεννᾶται ὁ Ἀρκάς, ἀφ' οὗ οἱ Ἀρκάδες.* Sententia quidem optima; num tamen re vera scholiasta, qui haud magna interpretandi poetae excellit diligentia, ita scripserit, iure dubitemus.

Iam poeta (vv. 42—45.), qui factum sit, tradit, ut campus ille haud procul ab urbe Cnoso situs dictus sit Omphalius. Cum nympha Thenas reliquisset, deum in Idaeum ferens antrum, puerulo umbilicum decidisse, campumque illum a Cydonibus inde ab hoc tempore appellatum esse umbilicarem, Omphalium. Cydones illi, qui Cretae erat populus, iam Homero sunt noti, qui Iardanum fluvium dicit per fines eorum fluere Od. III. 291:

ἔνθα διατμήξας τὰς μὲν Κρήτῃ ἐπέλασσεν,
ἧχι Κύδωνες ἔναιον Ἰαρδάνου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Cydonum meminit etiam Od. XIX. 176, ubi Cretam describens inter multos insulae populos etiam Cydones nominat. Hoc tamen Callimachi loco non de singulo quodam Cretae populo *Κύδωνες* dici videtur, sed omnino significari voce hac Cretenses, ut etiam h. in Dian. 196. Simili modo. quod h. in Dian. 81. et frgm. 284. *Κυδώνιον τόξον* dicitur, in universum significare videtur *Κρητικόν* vel potius bonum quemvis et affabre factum arcum [120]).

Optime quidem Meinekius Callimacho restituit *ἀπὸ Κρωσσοῖο φέρουσα* pro librorum: *ἐπὶ Κνωσσοῖο.* Quod tamen locum mutilatum esse suspicatur excidisseque nonnullos inter 41. et 42. versus, quibus nympham Cretam venisse esset dictum, non probatur. Non enim erat poetae in hymno Iovis laudes continente accurate, qua via Neda in Cretaeum illud antrum tetendisset, describere. Immo totus hic locus (vv. 42-45.) a poeta omitti poterat nimis concisae brevitatis haud accusando, nisi, quae de Omphalio illo tradebantur campo, et quae ad deum pertinebant ipsum, hoc loco apte inserere voluisset. Quod ut faceret, satis habuit hunc unum totius viae, quo res illa accidit, commemorare locum.

Poeta, qui tam acriter Cretensibus Epimenideum illud: *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται* ingessit Arcadesque laudavit, apud quos Iuppiter esset natus, tantum sane Cretensium fabulae tribuere debuit, ut, quem in Arcadia dixit esse natum, eum in Creta insula altum atque educatum concederet. Puerilem igitur deum dicit in Idaeo antro a nymphis altum, a Curetibus vero a Saturni insidiis defensum esse. Saturnus enim, a filio ereptum sibi iri regni imperium, a parentibus certior factus, quominus id fieret, ut impediret, omnes, quos procreavit, filios devorabat. Pro Iove vero Rhea Saturno dedisse fertur lapidem fasciis involutum, quo ille devorato tutum sese putabat

119) Apollod. biblioth. III. 8, 2.
120) cf. Schneid. excurs. in hym. III. p. 239. et frgm. 284.

neque sciebat, quantum sibi a filio convalescente immineret periculum. Ne tamen, se a Rhea esse deceptum, Saturnus comperiret, Curetes poeta dicit circa puerulum vagientem pyrrhicham saltantes armis concrepuisse (vv. 46—54.). Meliae illae nymphae, a quibus Callimachus dicit Iovem puerulum in manibus gestatum esse, ab Hesiodo, theog. 183. sq. traduntur una cum furiis gigantibusque Urani procreatae esse sanguine. Meliae autem cur dictae sint, schol. Apoll. Rhod. II. 4. nobis tradit: Μελίαν δέ φησι αὐτὴν διὰ τὸ τινὰς τῶν νυμφῶν Μελίας καλεῖσθαι ἀπὸ Μελίας τῆς ὠκεανοῦ, ὥς φησι Καλλίμαχος ἢ διὰ τὸ περὶ μηλέας (μελίας?) δένδρα διατρίβειν, καθάπερ Ἀμαδρυάδες. Nostro tamen loco Callimachus alteram nominis videtur secutus esse originationem. Corybantum enim cum eas appellaret socias, arborum intellexisse videtur nymphas, quae non secus atque ipsi Corybantes in silvestribus degerent locis.

Quod in libris προσεπηχύναντο legitur, Ernestius e Callimachi fragmento a Suida servato (II. 2, p. 223. [121]): περιπηχύναντες· περιπλεξάμενοι, παρὰ Καλλιμάχῳ, emendandum atque περιπηχύναντο restituendum censuit. Quod etiam Meinekio probabatur, subabsurde προσπηχύνεσθαι verbum compositum esse docenti. Absurdum tamen non visum esse veteribus, Rhianus testatur, qui in Epigr. IV. 3. Anal. Alex. p. 208. eodem quo Callimachus προσπηχύνεσθαι usus est verbo:

καί σε ποτὶ ῥοδέῃσι ἐπηχύναντο χέρεσσιν

Qua re et ipse commotus Meinekius neque apud Callimachum quicquam mutari voluit, defenditque traditam scripturam ita, ut προσπηχύνεσθαι esse dicat: bracchiorum circumiectu ad se trahere, idemque, quod Callimachus scripsit, valere, ac si dixisset: πήχεσι πρὸς ἑαυτὰς ἔλαβον. Nihil igitur a scholiastae recedit interpretatione, quem tamen εἰς πήχεις ἔλαβον Callimacheum προσπηχύνεσθαι interpretantem dicit callide rem involvere. At nihil in verbo hoc inesse, in quo offendamus, etiam serioris aetatis loquendi docemur usu, quo προσαγκαλίζεσθαι dicere videmus scriptores, etiamsi, ut recte animadvertit Meinekius, ratio et usus περιαγκαλίζεσθαι dici postulet. Neque igitur cum Meinekio Apollonium dixerim absurde usum esse πηχύνειν verbo Argon. IV. 972: ἀργύρεον χαῖον παλάμῃ ἔνι πηχύνουσα. Abiisse enim verbi huius vim posteriore aetate etiam in eam, quae in amplectendi verbo inest, significationem, praeter Apollonium Nonnus testatur, qui Dionys. XXV. 177: εὐπαλάμῳ δεσμῷ αὐχένα πηχύνειν dicit. Nescio an maiore quis iure offendat in eo, quod Callimachus nymphas dixerit Iovem puerulum ulnis amplexas esse, neque, quod desideretur, ipsum ab iis in manibus gestatum esse. Videndum igitur, num insit πηχύνεσθαι verbo etiam significatio, quae inest in: ἐν ἀγκαλίδεσσι φέρειν (Il. XVIII. 555.). Quod si statuatur, aptius πηχύνεσθαι cum περί quam πρός hoc loco coniungatur praepositione.

Eiusdem Adrasteae, cui Callimachus dicit fuisse munus Iovis consopiendi, meminit Apollonius Rhod. in Argon. III. 132. eamque Iovis tradit fuisse nutricem:

καί κέν τοι ὀπάσαιμι Διὸς περικαλλὲς ἄθυρμα,
κεῖνο τό οἱ ποίησε φίλη τροφὸς Ἀδρήστεια
Ἄντρῳ ἐν Ἰδαίῳ ἔτι νήπια κουρίζοντι.

Scholiasta Apollonii, qui Callimachi locum cum Apollonii comparat verbis, Adrasteam hanc docet fuisse Curetum sororem. Non diversa fuisse videtur ab Adrastea, quae in Idaeo monte, in Asia minore sito, colebatur; quo loco Rheae ipsi Adrasteae erat nomen [122]). Adrasteae nomen erat

121) cf Schneid. Callim. frgm p 550.
122) cf. Preller. Griechische Mythologie I. p. 108

etiam deae, quae cum Nemesi fato praeesse credebatur neque multum ab ipsa differebat Nemesi. Unde factum est, ut Nemesis et Adrastea a poetis nonnullis, ut a Callimacho, prorsus non discernerentur [123]).

Adrasteam igitur Iovem puerulum in aureis repositum cunis consopivisse dicit Callimachus. *Λίκνον* autem cunae vocabantur ob eam rem, quod in vanni, quod Cereris faventis erat signum, formam redigi solebant a veteribus, qui infantibus ibi repositis divitias ac fruges terrae augurabantur. Quod e scholiastae colligas verbis, qui: ‚*ἐν γὰρ λίκνοις*', inquit ‚*τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη, πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. λίκνον οὖν τὸ κόσκινον ἢ τὸ κουνίον, ἐν ᾧ τὰ παιδία τιθέασιν.* Idem testatur etiam schol. Arat. 268: *λίκνον δὲ τὸ κουνίον φησὶ, παρὰ τὸ λίαν κινεῖσθαι, ἐν ᾧ τὰ νήπια κατετίθεσαν. ἢ λίκνον τὸ λικμητήριόν φησι· τὰ γὰρ βρέφη τὸ πρῶτον γεννώμενα ἐν τῷ λικμητηρίῳ ἐτίθεσαν εἰς σύμβολον εὐτροφίας. Δήμητρος γὰρ καρποῦ τὸ ἐργαλεῖον* [124]). In cunis igitur, quibus vanni erat forma, qui reponebantur infantes, in Cereris deae, cui vannus erat sacra, putabantur esse tutela et fide. Ipsa enim cum *κουροτρόφος* coleretur, credebatur inter homines versata nutrivisse atque educasse olim regum filios, ut Triptolemum. Quod vero ad *λίκνον* vocis attinet scripturam, non, quae apud grammaticos (qui tamen utramque vocis huius et *λεῖκνον* et *λίκνον* agnoscunt formam) nobis occurrit, *λεῖκνον* formam Callimacho tribuendam censeam, sed quae vulgo apud scriptores scripta invenitur: *λίκνον*, ut hym. Hom. in Merc. 21, 63, 150, 254, 290, 358. [125]), quippe qui et ipse in hym. in Cerer. 127. summo codicum consensu habeat *λίκνον* et *λικνοφόρος*. Hoc solum cum Meinekio ex ea, quae a grammaticis traditur, *λεῖκνον* forma coniecerim, primam huius vocabuli syllabam Graecos porrexisse genuinamque scripturam fuisse *λῖκνον*, praesertim cum nullus Meinekio teste inveniatur locus, in quo *λίκνον* primam syllabam corripiat. Neque igitur Callimachum hoc loco cum Schneidero contenderim *λεῖκνον* scripsisse, sed *λῖκνον*.

Amaltheae caprae pinguia dicitur Iuppiter duxisse ubera dulcique apum Idaearum nutritus esse melle. Quae vero a Callimacho hoc loco fuisse traditur Amalthea capra, quae Iovem lacte aluisset, et, quae melle eum nutrivissent, apes, eas alibi legimus habitas esse nymphas, Melissei cuiusdam, Cretensium regis, filias, quarum alteri Amaltheae, alteri Melissae fuisset nomen. Nutricem suam, Amaltheam capram, Iuppiter tradebatur in caelo collocasse [126]). Quaeritur iam, utrum quod in libris v. 51: *ὄρεσσι τά τε κλείουσι Πάνακρα* legitur, sit Callimacheum, an ex Steph. Byz. restituendum sit poetae: *ὄρεσσι ἅτε κλείουσι* cet. Atque Schneidero teste, qui, ut rem decerneret, in reliquos inquisivit poetas Graecos, Homerus relativorum formis, quae a *τ* incipiunt, (addendae etiam demonstrativorum formae *τοί* et *ταί*) usus non observabat certam legem, videmusque eum hac in re summa usum esse inconstantia. Quod Schneiderus docet cadere etiam in recentiores poetas, ut Theocritum, Moschum, Apollonium Rhodium, Nicandrum, alios. Facile hinc concludas, neque Callimachum in formarum harum usu certam secutum esse legem, sed, quae ipsi quoque loco videretur aptior, eam usurpasse formam. Negat tamen Schneiderus, qui ‚ut reliqui', in-

---

123) cf. schol. Apoll. Rhod. Argon I. 1116, qui, quem Callimachus cum Apollonio in Hecale Adrasteae appellasset campum, eum in *Ὑπομνήμασι* testatur dixisse Nemeseos.

124) cf etiam Etym. Mag. s. v. *λεῖκνον*.

125) cf. Ellendt. Lexic. Sophocl. II. p. 29.

126) cf. Ezechiel. Spanh. observationes in Iovem p. 48. et Böttiger. Amalthea I. p. 26.

quit, ‚poetae Homeri inconstantiam secuti sunt, ita Callimachus illis formis non aliter videtur usus esse nisi aut ad evitandum hiatum, sive damnatum illum, sive excusabilem, aut ad producendam syllabam, quae aliter aptari versui non potuit aut in initio versus' (sc. praecedente littera vocali). Quam Schneideri de formis his doctrinam recte dicit Meinekius magnis obnoxiam esse dubitationibus. Comparatis enim iis Callimachi locis, quibus articuli usus est formis pro relativis, cum iis, quibus vulgaris relativi ponitur forma [127]), eodem iure, quo Schneiderus contendit nisi ad producendam syllabam Callimachum non usum esse formis relativis a τ incipientibus, metri statuas necessitate coactum poetam vulgares adhibuisse formas, ubi syllaba, versui ut aptaretur, produci non poterat. Accedit, quod, ut accommodet Schneiderus eos, qui doctrinae illi repugnant, locos ad reliquos, ad coniecturas confugit prorsus non necessarias, ut, quod VI. 50. legitur:

πaύεο καὶ θεράποντας ἀπότρεπε, μή τι χαλεφθῇ
πότνια Δαμάτηρ, τᾶς ἱερὸν ἐκκεραΐζεις.

id interpunctione mutata scribendum esse censet: πότνια Δαμάτηρ · τᾶς . . . ut τᾶς sit demonstrativum. Eandem interpunctionem faciendam docet etiam in frgm. 232, ut pro: εἰκαίην, τῆς οὐδὲν legatur: εἰκαίην · τῆς οὐδέν. Quod vero olim in Philologo VI. 496. frgm. 136. restituendum putavit: ἔκλυε' ἐτῶν, ὧν, id ad eam, quam vidimus normam, scribendum docet: ἔκλυ' ἐτῶν · τῶν . . . At fugit Schneiderum, etiam alios inveniri locos, qui, ut responderent eius doctrinae, mutandi erant, ut frgm. 235. legitur: δαίμων, τῇ et frgm. anonym. 112: κήτεα πεφρίκασι, τά τε σφίσιν ἀντιόωσιν. Neque quod docet, Callimachum non uti articuli formis pro relativis nisi in initio versus, idque praecedente in fine superioris versus littera vocali, bene sese habet. Nam in hym. in Cerer. 38. praecedente consona τῷ sequitur v. 39. pro ᾧ:

κῦρον,
τῷ δ' ὕπο ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἑψιόωντο

et frgm. 118. voce κατάκλειστος versum finiente, qui sequitur versus, incipit a τήν forma pro ἥν. Videmus, non quaerendam in usurpandis relativorum formis certam legem apud Callimachum, qui, quae quoque loco videretur esse aptior, ea usus esse putandus est forma, eadem qua alii hac in re fluctuans inconstantia. Librorum igitur scriptura: Ἰδαίοις ἐν ὄρεσσι τά τε κλείουσι Πάνακρα servanda.

Curetes, qui Iovem puerulum narrantur armata illa, quae πυῤῥίχη, vel etiam πρύλις vocabatur, saltatione armorumque strepitu a Saturni defendisse insidiis, Strabone teste [128]) haud diversi putabantur esse ab Idaeis Dactylis, Corybantibus, Cabiris. Quod non est mirandum. Haec enim numina, etiamsi sit discrimen, quo inter se differant, alia ad aliorum deorum cum pertineant cultum, tamen ea re inter se coniunguntur, quod omnes in eorum deorum, qui δαίμονες πρόπολοι vulgo appellantur, referendi sunt numerum. Ut nostro loco Iuppiter Curetum armis concrepantium traditur occultatus salutemque nactus esse saltatione, ita a schol. Apoll. Rhod. II. 528. Cei narrantur μεθ' ὅπλων orientem observasse Sirium. Videntur igitur credidisse veteres, defendi hoc armorum strepitu ea, quae deorum numina minarentur, mala [129]). Eundem morem observatum esse etiam in lunae defectu, Livius [130]) docet, qui ‚proelium', inquit, ‚non

---

127) cf. eos, quos Schneiderus in indice vocum Callim. s. v. ὅς affert locos.
128) cf. Strabo. Geograph. p. 466.
129) cf. Preller. Griechische Mythol. I². p. 106.
130) cf. Liv. XXVI. 5. et Tacit. Annal. I. 28. init.

solito modo clamore ac tumultu est coeptum, sed ad alium virorum equorum armorumque sonum disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum aeris crepitu, qualis in defectu lunae silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret etiam pugnantium animos.'

Quod Callimachus Curetes dicit *οὖλα* saltasse, scholiasta male interpretatur *ὑγιεινῶς*, falliturque Spanhemius, qui hanc scholiastae secutus interpretationem cum Vulcanio commode dicit verti posse Callimachi *οὖλα* salutariter; curetum enim saltatione occultatum fuisse ac salutem inde nactum esse Iovem Aptius iam Blomfieldus *οὖλα* significari docet loco nostro 'vehementer'; neque tamen vel hoc eam, quae *οὖλα* voci inest hoc loco, reddit sententiam. Neque haec Blomfieldi explicatio ad illum, quem cum nostro comparat, Nicandri Alex. 17. convenit locum:

τοῖο δὲ πάντα χαλινὰ καὶ οὐρανόεσσαν ὑπήνην
οὖλα θ' ὑποστύφει χολόεν ποτόν . . . .

Dicit enim poeta aconitum, quae planta est venenata, qui bibat, eius labia adstringi austero illo, quem herba haec habeat, sapore. Si igitur dicit: *οὖλα θ' ὑποστύφει χολόεν ποτὸν ὑπήνην,* non dubitandum est, quin velit intellegi, ita os totum contrahi, ut cutis crispetur vel, ut ita dicam, corrugetur. Simili modo teste Ernestio etiam scholiasta Theocrit. Idyll. VII. 68. explicat *οὖλον*: *καμπὰς ἔχον*, i. e. *πολύγναμπτον.* Quod haud inepte etiam ad pedum referatur motum, ut *οὖλα ὀρχεῖσθαι* idem sit atque Theocriti (Id. XVIII. 8.): *περιπλεκτοῖς ποσὶ ὀρχεῖσθαι,* intelleganturque, quos Onomacritos *εἱλιγμοὺς ποδῶν* vocat [131]). Nostro tamen loco non tam cum Ernestio de artificiosa illa, quae ad numerum sit facta, pyrrhicha cogitarim saltatione, ut Callimachus Curetes faciat 'varios orbes implicantes' sed, cum res ita sit instituta, ut, quo maiorem Curetes edant strepitum, eo tutior sit, quem custodiunt, puerulus a patris insidiis [132]), *οὖλα* quod dicit Callimachus cum Meinekio 'de crispa pedum' intellegere malim 'argutatione', ita ut permixte vel solutis numeris dicantur saltasse Curetes, quod Germani dicunt: Kraus durcheinander. Simili modo etiam Homerus Il. XVII. 759. de fugientibus Achaeis dicit: *οὖλον κεκληγῶτες ἴσαν.*

In *πεπλήγοντες* ut iam inquiramus formam, non cum Meinekio coniecerim Callimachum Homericum aoristum *πέπληγον* Odyss. IX. 264 pro imperfecto habuisse atque inde novum praesens *πεπλήγω* finxisse. Neque Schneideri probanda videtur sententia, qui ad normam Homerici *κεκλήγοντες*, quam tamen formam iam Aristarchum Homero constat abiudicasse [133]), Callimachum opinatur et hic finxisse illud *πεπλήγοντες* et h. in Dian. 61. *τετύποντες*. Negari quidem non potest eos, qui post Homerum fuerunt, poetas interdum participium perfecti temporis ita immutasse, ut eosdem atque praesentis haberet exitus [134]). Quae tamen eius generis afferuntur verba, sunt talia, ut perfecti quidem temporis forma induta vim tamen habeant praesentis. Nescio igitur an melius aoristi formam intellegendam esse illud *πεπλήγοντες* statuamus [135]), eodem modo atque:

---

131) cf. Ernest. l. l.

132) cf. Callimachi ipsius verba:

τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν
ἀσπίδος εἰσαΐοι, καὶ μή σεο κουρίζοντος

133) cf. Bekker. sched. Hom. p. 93. et Schneid. l. l.

134) cf. Krüger, griech. Sprachl. II. 1. § 29. 3, Anm. 6. et Buttmann. Ausführl. griech. Sprachl. II. p. 37. sq.

135) *Πεπλήγοντες,* quod habent D d G H I L codd. (Schneid.), aoristum esse, qui coniciat, ad normam Homerici *ὄφλων* (cf. Buttmann. l. l. II. 262), *πεφνων* (l. l. II. 272), *πίτνων, ἔγρεσθαι, ἔρεσθαι* Callimachum syllabae notam apposuisse statuat. Nihil tamen obstat, quominus *πεπληγόντες* scribatur, cum A B C E F K M Q codd. habeant *πεπληγότες.*

γελάσας εἶπε [136]) locum nostrum explicantes. Neque denique, quod Meinekius in κουρίζοντος vitium inesse suspicatus corrigi vult: κνυζεῦντος, probatur. Ex iis enim, quae Schneiderus attulit, exemplis satis apparet, non tam ad aetatem paulo iam provectiorem referri κουρίζειν verbum, ut h. in Dian. 5: παῖς ἔτι κουρίζουσα τάδε προσέειπε γονῆα, et h. in Del. 324: παίγνια κουρίζοντι καὶ Ἀπόλλωνι γελαστύν, quam omnino ad primos infantiae referendum esse annos. De eodem enim Iove puerulo κουρίζειν verbo usus est Arat. 32:

Διὸς μεγάλου ἰότητι
οὐρανὸν εἰσανέβησαν, ὅ μιν τότε κουρίζοντα
Δίκτῳ ἐν εὐώδει . . . .
. . . . . . ἔτρεφεν . . .

Eandem Iovis aetatem Nonnus respicit, qui Dionys. XIV. 32. habet:

κουροσύνην Κρονίωνος . . . . [137]).

Iovem a Curetibus custoditum dicit Callimachus v. 55. sqq. bene matureque ingressum esse pubertatem. Nec minus quam corpore valuisse deum ingenio, cuius praestantia iam puer haud cessisset viro. Inde factum esse, ut fratres eius, quamquam maiores fuissent natu, haud indigne ferrent, caeli eum occupasse imperium. Falsum vero esse, quod vates sortitione Iovi tradant obtigisse Olympi imperium. Rationi enim esse consentaneum, ea demum, quae sint paria, sorti committi, neque ea, inter quae tantum sit discrimen, quantum inter caelum et inferos. Iam si quid fingendum, ait Callimachus, certe quae possint probari, fingere sibi concedatur. Tum: ‚Non te', inquit, ‚Iuppiter, sortes constituerunt regem, sed vis atque robur, quae eam ob rem iuxta solium tuum collocasti' (vv. 55—67,). Iam ad singula si animum advertimus, in uno eodemque versu 55. videmus Callimachum primam καλὸς adiectivi syllabam et produxisse et corripuisse. Eadem, quae ad vocis huius pertinet mensuram, inconstantia saepissime nobis occurrit apud Callimachum [138]). Quod Cobetum [139]), qui acerrimus Callimachi exstitit castigator, commovit, ut etiam hanc ob causam vehementius in Callimachum invectus temere contenderet miscere poetam, quae olim omnes sedulo secrevissent. Permultis tamen Schneiderus ostendit exemplis, quod Callimacho Cobetus vertit vitio, iam dudum ante eum fecisse alios, suoque arbitratu et poetas lyricos et elegiacos primam καλός vocis syllabam modo posuisse longam modo brevem. Neque desunt exempla, ex quibus appareat, a poetis — quod imprimis in Callimacho utramque in eodem versu miscente prosodiam, vituperat Cobetus — vocis huius mensuram brevi intermisso spatio esse mutatam. Atque ipsum Homerum, poetarum qui fuit princeps, in simili vocabulorum mensura sibi non constitisse, iam ante Schneiderum Meinekius [140]) monuit. Nam in uno eodemque versu Ἄρες Ἄρες βροτολοιγέ, δίω-οίω, τῖον-τίον, διά-διά, similia nobis occurrunt iisdem vocum syllabis et productis et correptis. Suo igitur iure cum Meinekius tum Schneiderus Callimachum contra Cobetum temere hoc quidem loco poetam increpantem, defenderunt. Quod vero in eodem versu legitur: ἔτραφες (passive dictum), non abiudicandum esse Callimacho etiam hac

136) cf. Curtius. Griechische Schulgr. §. 497. Anm.

137) cf. etiam eos, quos Schneiderus attulit locos: Non. Dionys XLVI. 15; Apoll. Rhod. III. 132. sq. Nonn. IX. 68.

138) cf. eos, quos Schneiderus in excurs. p. 152. attulit locos.

139) cf. Cobet. in Mnemosyn. X. p. 406.

140) cf. Meinek. ad Theocrit. Idyll. VI. 19.

in re Homerum secuto, vix est, quod moneam. Ab Homero tamen formam hanc alienam non esse nec raros apud illum locos, ubi eadem atque nostro loco subicienda sit formae huic vis atque significatio, Buttmannus docet [141]), cui haud scio an nemo repugnet. Eandem pro ea, quae vulgo legebatur: ἔτρεφον, formam Meinekius Callimacho restituit in frgm. 129: λαθρηδὸν δὲ παρ' Ἡφαίστοιο καμίνοις ἔτραφον αἰράων ἔργα διδασκόμενοι.

Iam quae sequuntur optime procedunt neque habent, in quo quis offendat. Quod tamen v. 59. Callimachus dicit Iovem obtinuisse ἐπιδαίσιον οἶκον, magnam viris doctis attulit difficultatem aliis aliter ἐπιδαίσιον vocem interpretantibus. Grammaticorum, qui ἐπιδαίσιον idem esse docent atque ἐπίκοινον καὶ ἀμέριστον, interpretationem non admitti, vel ipso narrationis tenore vimque fieri hac interpretatione vocabulo ἐπιδαίσιος, quippe quod cum ἐπιδαίεσθαι cohaerens verbo nihil significare possit, nisi quod scholiasta tradidit: κατὰ κλῆρον μεμερισμένον. Schneiderus optime docet. Quod tamen ex sequentibus (cf. vv. 60—67.) patere contendit, a Callimacho Homerum (Il. XV. 187):

τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκετο Ῥέα,
Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀίδης ἐνέροισιν ἀνάσσων,
τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς·
ἤτοι ἐγὼν ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν αἰεί
παλλομένων, Ἀίδης δ' ἔλαχε ζόφον ἠερόεντα,
Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν.

secuto significari hoc loco, Iovem domum, quae sorte ipsi obtigerit, obtinere, acquiescendumque putat in librorum lectione a scholiasta explicata, fallitur. Aperte enim mentiri dicit Callimachus antiquos poetas, qui sortitum esse Iovem doceant caeli imperium et 'τίς δὲ', inquit, 'ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄιδι κλῆρον ἐρύσσαι, ὃς μάλα μὴ νενίηλος;' Non existimandus igitur Callimachus Iovi hoc loco tribuere οἶκον ἐπιδαίσιον vel ἐπικεκληρωμένον, cum non sorte constitutum eum laudet regem, sed iis, quas gessisset, rebus, sua ipsius vi atque robore (v. 66. sq.) Quod etiam aliis visum est viris doctis, qui vitium loco nostro inesse intellegentes, alii alia sanare studuerunt coniectura, ut Valckenarius ἀποδάσμιον οἶκον Callimacho restituendum censuit, et Meinekius ἐξαίσιον οἶκον — sive sorti exemptam sive ingentem interpreteris — poetam scripsisse suspicatus est. Haud scio an eadem causa etiam Toupius commotus nova coniectura non prolata ea, quae in libris traduntur, verba ita sit interpretatus, ut tolleret eam, quae scholiastae interpretatione Callimacho infertur, discrepantiam. Docet enim ἐπιδαίσιον οἶκον verbis significari domum ad epulandum accomodatam sive ad vitam beate et hilariter transigendam. Quo sensu quo iure ἐπιδαίσιος a quoquam dici potuerit, haud intellegitur. Ne que, quam Meinekius proposuit, emendatio probatur. Nam quod ἐξαίσιον vult intellegi: sorti exemptum, vix puto locum inveniri, quo adiectivo huic ea tribui possit vis atque significatio. Quam tamen voci huic subicit, alteram interpretationem haud satis censuerim aptam esse ad totam Callimachi verborum sententiam. Eadem de causa ne Valckenarii quidem coniecturam, etiamsi propius accedat ad litterarum traditarum ductum, quam Meinekiana, veram putarim. Litterarum igitur ductu non neglecto equidem, narrationis Callimacheae quod respondeat tenori, coniecerim scribendum esse:

οὐρανὸν οὐκ ἐμέγηραν ἔχειν ἐπ' ἐναίσιον οἶκον

ut ἐναίσιον οἶκον intellegas domum, quae conveniat Iovis potestati. Addendum videtur, eundem

---

141) cf. Buttm. Ausführl. griech. Sprachl. II. 307.

Callimachum, qui hoc loco Hesiodum [142]) secutus Iovem tradit per propriam suam vim suumque robur caeli occupasse imperium, mendaciique accusat poetas, qui sortitos esse deos inter se imperia tradant, in frgm. a schol. Pindari Nem. IX. 123. et schol. Euripidis Hec. 467. servato alteram secutum esse fabulam ab Homero traditam, qua Iovi sortitione obtigisse traditur Olympi imperium:

Μηκώνην μακάρων ἕδρανον αὖτις ἰδεῖν,
ἧχι πάλους ἐβάλοντο, διεκρίναντο δὲ τιμάς
πρῶτα γιγαντείου δαίμονες ἐκ πολέμου.

Recte quidem docet Cobetus in Mnemosyn. X. p. 412. **δηναιός** adiectivum, quod, ubicunque legitur, nihil aliud significat nisi fere **πολυχρόνιος** vel **μακρόβιος** (diuturnus, longaevus), soli Callimacho et hymni nostri v. 60. et frgm. 105. idem esse atque **ἀρχαῖος** vel **παλαιός**. Neque enim apud eos, quos Schneiderus laudat, scriptores ea, quae nostro loco voci huic inest, significatio, neque iis, quos Spanhemius [143]) ex Aeschylo [144]) attulit, locis, et quos cum nostro comparat, est subicienda Neque tamen est, cur Cobetus hoc Callimacho vitio vertat, eumque ex sua ipsius dicat libidine **δηναιὸς** adiectivum pro **ἀρχαῖος** vel **παλαιός** usurpasse. Nos quidem talia offendunt, num tamen Callimachus, quibus scripsit, aequales offenderit, quam maxime est dubitandum. Ac fieri potuit, ut etiam hac in re Callimachus secutus sit antiquiorem aliquem, quem hodie ignoramus, poetam.

Quod ad **διάτριχα** codicum pertinet lectionem, iam Schneiderus satis eos refellit, qui **διὰ τρίχα** Callimacho restituendum esse censuerunt, **διάτριχα** ubicunque legatur, **διά** ad verbum retrahi posse docentes, neque intellegitur, cur viri docti in Callimacho offenderint haud ignorantes locum illum, qui est in Hom. hym. in Cer. 86:

ὡς τὰ πρῶτα διάτριχα δασμὸς ἐτύχθη

et quem iam Ruhnkenius, ut Callimachi defenderet scripturam, laudavit. Minus tamen recte idem Schneiderus post v. 62. excidisse contendit versum. ‚Cum', inquit, ‚trifariam sorte divisas fuisse Cronidarum sedes Callimachus dixisset, mox duas tantum memorat, de quibus inter Iovem et Plutonem sortitum sit, Olympum et Orcum, sed omittit Neptunum et Pontum. Ac dicat aliquis satius fuisse uno defungi exemplo, quo demonstraretur, ad Olympi praestantiam aliam non accedere sedem, putidaeque futurum fuisse diligentiae, si de tertia sede, quae Neptuni fuit, idem nominatim poeta affirmasset. Sed qui Callimachi in eius modi rebus enarrandis cognoverit

---

142) cf. Hesiod. Theog. 881. sqq:

αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν,
Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι,
δή ῥα τότ' ὤτρυνον βασιλευέμεν ἠδὲ ἀνάσσειν
Γαίης φραδμοσύνῃσι 'Ολύμπιον εὐρύοπα Ζῆν'
ἀθανάτων· ὁ δὲ τοῖσιν εὖ διεδάσσατο τιμάς.

Traditur igitur Iuppiter regni imperio occupato ipse inter deos distribuisse, qui iis erant, honores. Eandem fabulam sequitur Nicand. ther. 343:

Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται,
ὡς, ὁπότ' οὐρανὸν ἔσχε Κρόνου πρεσβίστατον αἷμα,
νειμάμενος κασίεσσιν ἑκὰς περικυδέας ἀρχάς . . . .

143) cf. Ez. Spanh. observatt. in h. in Iovem p. 54.

144) cf. Aeschyl. Prometh. 793, ubi de Gorgonibus haec leguntur: *Αἱ Φορκίδες ναίουσι δηναιαὶ κόραι.* Iam schol. teste Spanhemio *δηναιαί* interpretatur: *ἀθάνατοι;* cf. etiam v. 911: *ἣν ἐκπίτνων ἠρᾶτο δηναιῶν θρόνων.*

loquacitatem, non dubitabit, quin re vera affirmaverit, sed a librariis versus, quo hoc fecerit, omissus sit. Quodsi hoc vel simili modo Callimachus scripsit:

τίς δέ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄιδι κλῆρον ἐρύσσαι,
τίς δέ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ 'ατρυγέτῳ ἐπὶ πόντῳ,
ὃς μάλα μὴ νενίηλος;

apparet, quam facile, quem desideramus, versus excidere potuerit.' Idem Schneidero, qui, ut defendat suam coniecturam, ad eam, quae in eius modi rebus enarrandis soleat deprendi apud Callimachum, provocat loquacitatem, obiciendum puto, quod Meinekio, inter vv. 41. et 42. excidisse nonnullos versus, conicienti. Callimachus enim, ut refelleret eos, qui sortitos esse inter se Iovem, Plutonem, Neptunum fabulabantur imperia, satis habuit, quod et ipse concedit Schneiderus, uno defungi exemplo, solumque Olympum comparare cum Orco, ut demonstraret, quam magnum inter utrumque esset discrimen, quamque ineptum Iovem statuere sortientem id, quod per suam ipsius obtinere potuit vim. Additis igitur, quae Schneiderus vult, verbis nimis molesta Callimacho infertur loquacitas, quae, quamvis saepe apud ipsum deprehendatur, temere tamen non est ubique statuenda, ubi quid addi potuisse a loquaci Callimacho videatur. [145])

Callimachus postquam vituperavit antiquos poetas, qui in fingendis de diis fabulis usque eo essent progressi, ut vel ea persuadere studerent aliis, quae prorsus non possent probari, ipse v. 65: ‚*ψευδοίμην*', inquit, *ἀίοντος ἅ κεν πεπίθοιεν ἀκουήν*.' Recte eos animadvertit Stephanus, quibus verba haec Callimachi multum facessant negotii, in scirpo, ut dicunt, quaerere nodum. Quod et ipsi video accidisse Schneidero, qui bene quidem ex ipso docet orationis contextu apparere, de quibus agitur, verba ita esse intellegenda: ‚mentiar saltem, quae audientium aures persuadeant.' Quod tamen pinguius istis, quae nunc leguntur, expressum si putat verbis, ut quae indicent, poetam o m n i n o et u b i q u e proclivem esse ad eius modi res fingendas, quamquam ipse apud schol. Dionys. Per. 1. dixerit: ‚*ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω*', fallitur. Neque necesse est addatur ad restringendam istam, quam putat nimis generalem, sententiam particula *γέ*. Eadem fere qua Schneiderus causa permotus Reiskius totum suspicatur intercidisse versum, cuius haec fuisset sententia: *οὐκ ἂν ψεύσομαι ἑκών γ' εἰ δὲ ψεύδεσθαι ἀνάγκη* . . .' [146]) At quod apud schol. Dionys. Per. legitur, Callimachi illud: *ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω* haud facile equidem ad nostrum referam locum. Hoc enim poeta optime ad eas referre potuit res, quas persuadere voluit aliis esse veras neque ad eas, quas de diis profert, fabulas, vixque puto Callimachum tam fuisse ineptum, ut etiam in talibus fidem sibi vellet conciliare. Immo memor illius: *πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί* [147]), et quod iam Homerus habet (Od. XIX. 203.): *ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα*, et Hesiodus (theog. 27.): *ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα*, et aliis poetis et ipsi sibi concedere videtur verbis illis fingendi potestatem Tantum tamen abest, ut, quodcunque libeat, poetis fingere licere contendat, ut, probari quae ullo modo possint, excusanda esse doceat. Quam verbis Callimachi, orationis si sequimur tenorem, subiciendam esse sententiam, etiam Meinekius videtur intellexisse, qui: ‚optat', inquit, ‚poeta, ut si quid ipsi fingendum sit, certe probabilia fingere sibi concedatur.'

---

145) cf. etiam Richteri excurs. in Callim. hym. in Iovem (in libello gymnas. Guben. 1871.), qui firmissimis Schneideri coniecturam, post v. 62. lacunam statuentis, refellit argumentis.

146) cf. Blomfield. annotat. p. 79.

147) cf. frgm. anonym. 364. (Schneid.)

Optime Bentleius v. 67, cum *Βίη* et *Κάρτος* nomina essent duorum Iovis satellitum[148]), pro codicum: *σήτε Βίη τό τε Κάρτος* Callimacho restituit: *ἥ τε Βίη τό τε Κάρτος*. Quam Bentlei coniecturam Schneiderus non refellit iis, quibus codicum lectionem tueri studet, verbis, morem illum poeticum memorans, quo ‚in uno eodemque nomine duas saepe confundant notiones et dei hominisve et rei, quam ad illos mythi referant.' Quod etiamsi in Callimacho statuatur, nihilo tamen setius videtur restituenda Bentlei emendatio. Vix enim a Callimacho pronomen possessivum *Βίη* voci additum in *Κάρτος* omitti potuisse dixerim, praesertim cum *τέ — τέ* nomina haec coniungantur particulis. Quae etiam Bentlei videtur esse sententia, qui vel per se satis dicit esse manifestum, veram lectionem esse: *ἥ τε Βίη τό τε Κάρτος*.

Pro *ὅ καί*, quod statim sequitur, Blomfieldus minus apte scribi voluit: *ὅθεν*, comparans hunc Callimachi locum cum h. in Dian. 197:

καὶ ἔνθορεν εἰς ἁλιήων
δίκτυα, τά σφ' ἐσάωσεν· ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
νύμφην μὲν Δίκτυνναν . . . . . . καλέουσιν.

et ibid. 203. Dubitandum tamen non est, quin codicum servanda sit scriptura rectéque Valckenarius[149]) interpretatus sit illud *ὅ καί*: quare etiam. Ut enim saepissime *ὅ* poni solet pro *ὅτι*[150]), ita haud rari sunt loci, quibus *ὅ* vel *τό* idem valeat atque: quapropter, propterea[151]). Atque apud ipsum Callimachum *ὅ καί* idem est atque: *δι' ὃ καί* etiam epigr. XI.:

Σύντομος ἦν ὁ ξεῖνος, ὃ καὶ στίχος· οὐ μακρὰ λέξω·

Commemoratis Iovis satellitibus Callimachus deorum regem dicit alitum longe praestantissimum auguriorum suorum elegisse nuntium, minorumque rerum administratione diis aliis concessa, hominum, qui illis in rebus versarentur, salutem curandam iisdem commisisse diis. In suam vero ipsius fidem Iovem reges recepisse, quibus suam etiam concessisset sortem. Credita tamen regibus urbium custodia, nihil, nisi vicarios suos in terra eos esse, Iovem voluisse, quibus ipse praeesset. Iam quod v. 68. in libris legitur *οἰωνόν*, Meinekius Stephanum secutus cum Blomfieldo scripsit *οἰωνῶν*, recteque Ernestius Callimachum docet ‚superlativis et vim talem habentibus verbis' genetivos iungere solere, itemque alios. Quamquam haud rari sunt etiam loci, quibus *ὑπέροχος* adiectivo genetivus non iungitur, ut h. Hom. XII. 2.: *ἀθανάτων βασίλειαν ὑπείροχον εἶδος ἔχουσαν* (Stallb.) et Soph. Trach. 1096: *θηρῶν, ὑβριστήν, ἄνομον, ὑπέροχον βίαν.* Qui tamen, quod paulo post v. 70. legitur: *εἵλεο δ' αἰζηῶν ὅτι φέρτατον*, respexerit, non solum cum Stephano ‚non minus placere genetivum *οἰωνῶν*' concedet, sed etiam multo aptius hoc loco dici quam *οἰωνόν*. — *Αἰζηοί*, quos recte scholiasta dicit hoc loco Callimacho esse *ἀνθρώπους*, Homero

148) cf. Hesiod. theog. 385:

Στὺξ δ' ἔτεκ' Ὠκεανοῦ θυγάτηρ Πάλλαντι μιγεῖσα
Ζῆλον καὶ Νίκην καλλίσφυρον ἐν μεγάροισιν
καὶ Κράτος ἠδὲ Βίην ἀριδείκετα γείνατο τέκνα·
τῶν οὐκ ἔστ' ἀπάνευθε Διὸς δόμος οὐδέ τις ἕδρη
ἀλλ' αἰεὶ πὰρ Ζηνὶ βαρυκτύπῳ ἑδριόωνται. et Aeschyl. Prometh. 12. sq.

149) cf. Valckenar. ad Euripid. Phoeniss. p. 53.

150) cf. Hom. Odyss. I. 382; XII. 295; Il. V. 433; VIII. 32; I. 120; IX. 493; XVII. 207.

151) cf. Hom. Il. III. 176; XVII 404; XIX. 213; Od IV. 206; Ap. Rhod. I. 205; Arat. 27; et eos, quos Valckenar. ad Euripid. Phoeniss. 157. et Schneid. ad Callimach. h. in Apoll. 105. composuerunt exempla, cum quibus comparari possunt Soph. Trach 136: *ἃ καὶ σὲ τὰν ἄνασσαν λέγω τάδ' αἰὲν ἴσχειν* et Oed. Col. 1291: *ἃ δ' ἦλθον, ἤδη σοι θέλω λέξαι, πάτερ*, ubi pro *ὅ* pluralis numeri formam *ἅ* videmus usurpari eadem significatione.

sunt, qui virtute excellant neque a ferendis belli abhorreant laboribus vel omnino iuvenes. A recentioribus demum poetis voci huic omnino hominum subiecta est notio [152]).

Optime quidem cum scholiasta *νηῶν ἐμπεράμους* interpreteris: *ἐμπόρους* sive mercatores. Hoc tamen Callimachi loco vix puto dubitandum esse, quin intellegendi sint navium rectores, atque *νεὼς ἐμπέραμος* sit is, quem poeta paulo post v. 75. appellat *ἐρέτην*. At haec minora. Neque, quae sequuntur, verba habent, in quo quis offendat [153]). Singulas vero criticorum et dubitatiunculas et correctiunculas, ut ita dicam, cum a Schneidero tum a Meinekio refutatas enumerare longum est [154]) Solius Meinekii laudanda videtur emendatio, qua duplex illud vulgatae scripturae vitium: *τευχηστὰς δ' Ἀρῆος* amovit, legi iubens: *τευχηστὰς δ' ἄρ' Ἄρηος*.. Recte quidem Spitznerus [155]) recentiores poetas docet non secutos esse Homeri usum *Ἄρης* primam syllabam nisi in thesi positam non producentis. Duorum tamen, qui sunt apud Apollonium Rhod. [156]), locorum tam manifesta Meinekii videtur esse emendatio, ut, quin sit vera, non sit dubitandum. Eadem etiam huius Callimachei loci est ratio. Quod tamen Bergkius [157]) inutilem dicit esse particulam *ἄρα*, satis iis, quos Schneiderus ex Homero [158]) attulit, refutatur locis, ex quibus apparet, habere suam vim in similium rerum enumeratione *ἄρα* particulam.

Diana unde Chitones habuerit nomen, scholiasta tradit, qui a Chitone, demo Atticae, eam denominatam esse dicit. Quod tamen haud scio an nemini probetur. Neque altera, quam scholiasta Chitones nominis tradit, explicatio ad hunc Callimachi locum apta videtur esse. A fasciis enim recens natorum Dianae dicari solitis deae Chitones inditum esse nomen [159]). Callimachus tamen, cum Dianam hoc loco venatorum celebret praesidem, non dubitandum videtur esse, quin deam appellarit Chitonen a venatricis illo, quo ornata fingebatur, habitu, a succincta illa tunica, qui a Graecis nominabatur *χιτών*

Maiorem iam difficultatem criticis praebuerunt, quae sequuntur, verba v. 79. Callimachus enim, cum a poetis dixisset appellari fabros Vulcani, milites Martis, venatores Dianae, cantores Apollinis, v. 79. in libris traditur scripsisse haec:

ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων
θειότερον . . .

---

152) cf. Jacobs. Anthol. Pal. p. 343.

153) Quod apud Callimachum *ἄλλα μέλειν ἑτέροισι* legitur pro *ἄλλα — ἄλλοις*, eius rei exempla ex Apoll. Argon. et Theocrit. Idyll. petita iam Meinekius attulit addiditque alia multa Schneiderus.

154) cf. Schneid. l. l. p. 157, qui recte, quam M. Schmidt. Verisimil. p. 31. responsionem, quam dicit, palinodicam (cum *νηῶν ἐμπεράμους* et *ἐρέτης*, *σακέσπαλον* et *ἴδρις αἰχμῆς* sibi respondeant, responsionis legem in his palam promulgatam, *ἀοιδόν* vero v. 71. et *γεωμόρος* v. 74. verbis violatam ut restituat, pro *οὐ μὲν ἀοιδόν* scribi vult: *οὐκ ἀροτῆρα*) Callimacho restituendam censet, contra librorum manu scriptorum fidem negat poetae esse obtrudendam. v. etiam Meinek. l. l., qui Valckenar. coniecturam pro librorum: *αὖθι παρῆκας* legentis: *ἀντιπαρῆκας* optime redarguit *αὖθι* vicissim esse docens.

155) cf. Spitzner de vers heroic. p. 23.

156) cf. Apoll. Rhod. Argon. II. 991:

νύμφης ἥ τ' Ἄρης (ἥ τ' ἄρ' Ἄρης Mein.) *φιλοπτολέμῳ τέκε κούρας*

et III. 183: *φρασσόμεθ' εἴτ' Ἄρης (εἴτ' ἄρ' Ἄρης* M.) *συνοισόμεθ' εἴτε τις ἄλλη.*

157) cf. Ind. schol. Halens. 1864-65. p. 5, ubi Bergkius, si quid mutandum, legendum censet: *τευχηστῆρας Ἄρηος.*

158) cf. Hom. Il. II. 521, 546, 584, 615, 676.

159) cf. schol.: *ἢ ὅτι τικτομένων τῶν βρεφῶν ἀνετίθεσαν τὰ ἱμάτια τῇ Ἀρτέμιδι.* cf. etiam Preller. griech. Mythol. I². p. 218., qui Chitonam opinatur Dianam inde esse appellatam, quod virgines deae huic dedicare solerent tunicas.

